EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI

ANNIBALI ALBANO

CLEMENTIS XI. P. M.

FRATRIS FILIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu

Felicitatem.

BONARUM *artium atque optimorum studiorum quorumcumque Parentem amantissimum & Mæcenatem mu-*

nificentiſſimum cum Te, ANNIBAL ALBANE *Cardinalis Ampliſſime, non modo Roma, atque Italia cetera, verum univerſus quoque Chriſtianus Orbis & non Chriſtianus jampridem meritiſſime prædicet, ac populorum omnium vocibus profiteatur; mihi profecto nimium deeſſem & ſtudiis meis, ſi eorum partem aliquam, quod hactenus nonniſi ſummis cum viris, ac Tui ſimilibus, præſtiti, Tibi quoque, multis præſertim nominibus obligatus, quaſi voti reus ac manceps, non conſecrarem. Veteris Latii*, PETRO MARCELLINO CORRADINO *Cardinale, primo Operis Auctore, jubente, Hiſtoriam perſequor; illam, inquam, Hiſtoriam, cujus Volumen Primum*

mum, quod de Latinis est in universum, CLEMENTIS XI. *Felicissimæ semper Recordationis Pontificis Optimi Maximi, Patrui Tui, Cardinalis Amplissime, glorioso atque immortali Nomine inscriptum fuit, ab Auctore clarissimo, qui se plurimum* ALBANO *& Pontifici & Nomini debuisse professus est. Opus igitur totum in Tuæ præclarissimæ Familiæ jura ex illo jamdiu concessit. Cujus secutas, a me descriptas partes, quamvis &* BENEDICTO XIII. *Pontifici, & ipsi* PETRO MARCELLINO CORRADINO, & JOSEPHO RENATO IMPERIALI *Cardinalibus meritissimis dedicaverim; quin tamen* ALBANO *Nomini Opus suum, jure veluti*

ti quodam poſtliminii, rurſum aſſererem, committere nullo pacto potui. Tu non, quemadmodum Viri Principes nonnulli, atque ii quoque oppido pauci, faciunt, favorem tantummodo tuum, ac liberalem manum Literis erigendis ac ſuſtentandis præſtas, ἄμυσον *ceteroquin* καὶ ἀνίερον καὶ βέβηλον: *verum; quod rariſſimum eſt, ac pæne ſingulare per hæc tempora; optimis quibuſque diſciplinis a teneris uſque imbutus ipſe, Cardinalis Ampliſsime, Literatiſsimus Literatorum Rempublicam foves Patronus; ejus fines rationibus plurimis latius in dies extendis; auctoritatem decoras; jura cuſtodis. Ut enim miſſa faciam plurima, quæ Literatis viris quibuſque, omne genus, be-*

ne-

neficia contuliſti; quantum, Deus Immortalis! Literarium Regnum finibus propagaſti, ex quo Urbini, in patria tua celeberrima, novæ Optimorum Librorum politiſſime excudendorum Officinæ exſtruendæ, & ornamentis omnibus ac præſidiis inſtruendæ auctor locupletiſſimus eſſe voluiſti! Vaticanam quidem Romæ antea reſtitueras; apud CLEMENTEM XI. *Pontificem, ut amplis ornaretur privilegiis, inſiſtens. Ex qua politiſſimi ſane atque ornatiſsimi Codices prodiere permulti. Verum in Urbinati exornanda, liberalitatis, ſapientiæ & dignitatis tuæ vires exſerere atque effundere ſingulariter viſus es. Non modo enim illam ædibus, operis, inſtrumento*

omni

omni ac ſupellectile affatim inſtruxiſti; verum elegantiſſimis quoque veterum monumentorum, quorum apud Te Tuoſque, tam Romæ, quam Urbini & Soriani in Gentis Tuæ Dominatu, vis incredibilis adſervatur, Tabulis ære repræſentatis, quoſcumque ex illa Libros emiſiſti, quam ornatiſſimi, ut prodirent, vehementer curaſti. CLEMENTIS *autem* XI. *Scripta, Orationes, Allocutiones, Decreta, ceteraque pretioſa verba, quæ Pontifex ille Sanctiſſimus, Doctiſſimus & Diſertiſſimus ad Purpuratorum Patrum Senatum, ſummoſque ad Europæ Principes, ad univerſum denique Chriſtianum gregem, cujus Paſtor fuit vere Bonus, vere Optimus, habuit, ſumma*

ma diligentia, pietate, munificentia cum publici per eos typos feciſti juris, & chartis æternum duraturis ad poſteros tranſmiſiſti; quantum denique Patriæ, Familiæ, Literis Chriſtianoque Orbi univerſo ſolidæ utilitatis, decoris ac majeſtatis incrementum attuliſti? Quæ quamquam ſumma in Literariam Rempublicam a Te collata beneficia fuerint; Tibi tamen, Vir Sapientiſſime, ſatis ea minime viſa ſunt; verum illa quaſi aliena deſpiciens quodammodo, perinde quaſi, nihil præſtitiſſe Te Literarum bono, cenſeres; Tua ipſe privato ſtudio tuo elaborata monumenta inſuper adjunxiſti. Quamvis enim modeſtiæ Tuæ dederimus, quod Nomen editis Ope-

ribus Tuum ſubtrahere atque occultare malueris; novit nihilominus Literatorum Reſpublica, permulta a Te elegantiſſimis illis typis vulgata Opera vel a Te ipſo elucubrata, vel certe concinnata, in optimum digeſta ordinem, & de altero in alterum converſa ſermonem fuiſſe. In quibus Chriſtianæ Sacroſanctæ Religioni, & Chriſtiano homine dignis moribus, mirum eſt quantum ſemper conſulueris atque proſpexeris! Hæc vero qualis quantuſque Sacri Cœtus Senator ac Princeps? quibus quantiſque Chriſtiani Orbis univerſi occupatus negotiis, diſtractus curis? In Summi Pontificatus tuendi partem ab ipſa ferme ineunte ætate vocatus ab Optimo Pa-

truo

truo Tuo, ad exteras Gentes miſſus extra Ordinem Nuncius, adiiſti; difficillima Tibi concredita, de rerum ſummis, negotia expediviſti; alienatos Virorum Principum animos Romanæ Sedi conciliaſti; tanta ſolertia, cura, ſollicitudine, ſapientia, fide, integritate; ut CLEMENS, *quamquam nihil dare carni aut ſanguini apud ſe certiſſimus & conſtantiſſimus conſtituiſſet; duodennium tamen meritorum Tuorum cumulo ab Juſtitia victus denique atque coactus Te nonniſi Purpuratum Romam revocaverit. Qua in Urbe Optimo Pontifici tanta ſimul ſapientia & modeſtia ſemper adfuiſti, ut diuturni ceteroquin Principatus tæderet me-*

rito neminem, nemo juſte conque-reretur. quod ſane perquam ra-riſſimum eſt. Quo Pontifice ad Cæleſtia æternum capeſſenda præ-mia, egregiis pro laboribus ac pro meritis a DEO OPTIMO MAXI-MO *evocato;* CHRISTI *Repara-toris ac Paſtorum Paſtoris deſer-to gregi de Optimis, tertium jam, Paſtoribus Summis Pontificibus Tu, Cardinalis Ampliſſime, ma-xima ex parte providiſti. In qui-bus, qui Patruum Tuum ſan-ctiſſimis non minus inſtitutis at-que virtutibus, quam nomine red-dit,* CLEMENS XII. *feliciter Chriſtiani Orbis gubernacula ho-die moderatus, principem profecto retinet locum. Quod ſi, quæ in publicum unice ſemper proſpicien-*

te

te bonum in gravissimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii, *quod vocant, munere, præclare gesta, & sapienter provisa sunt a Te, Cardinalis Amplissime, vel minima ex parte commemorando velim attingere; dies me profecto deficiat; finemque nullum Epistolæ meæ fecerim. Quare auctos per Te Fisco publicos redditus, laxatam populis annonam, assertа aut vindicata Summo Principatui olim amissa bona vel jura, ceteraque quamplurima in commune commodum collata, silentio prudens obvolvam: illud tantum innuisse contentus, Urbinum Te, Patriam Tuam, merito Tibi carissimam, tot tantisque affeciisse beneficiis, qua optimos illi Præsi-*

des

des procurando, qua Literarum in ea omne genus ſtudiis promovendis; viis quoque, pontibus, ſacris ædibus, profaniſque ædificiis illam, ejuſque agros circa, exornando; cultura denique agrorum ipſorum adaugenda quam maxime, quod ſumen, nervi & robur præcipuum urbium eſſe ſolet; ut quamvis innumeros alios ob titulos feliciſſimus Te ac ſecundiſſimus apud gentes omnes rumor commendet, atque iccirco:

Vox diverſa ſonet populorum; vox tamen una eſt,
Qua verus Patriæ diceris eſſe Pater.

Quæ cum ita ſint; ad mea quoque ſtudia, quibus vetuſtiſſima nobiliſſimæ regionis, Veteris nempe Latii, in quo Urbs Gentium domina floruit & floret, monumenta

ta illuſtrare pro viribus pergo, animum oculoſque tantiſper advertas, peto: Tuoque calculo adprobes, patrocinio foveas, auctoritate defendas. De Laurentibus & Oſtienſibus antiquiſſimis Latii populis agitur in his Libris; genus unde Latinum, Albanique Patres atque altæ mœnia Romæ. *Hoc autem a Te mihi perbenigne præſtandum, multa pollicentur. Tuus in primis in Noſtrum hunc Ordinem, Societatem* Jesu, *a teneris uſque præſtitus amor. quam pietatis, ſtudiorum vitæque totius ſuſcepta inſtitutione in Romanis & Seminario & Collegio decoraſti. quibus in gymnaſiis Noſtrorum Hominum diſciplinæ cariſſimos quoque* Caroli

ger-

germani Fratris Tui Filios commendare pergis in præsens. Locus etiam, in quo hanc scribo Historiam, comiter eamdem a Te suscipiendam, blandiri mihi videtur. Is enim Græcorum est Collegium, CLEMENTI *Pontifici Optimo Patruo Tuo vere* φιλέλληνι *unice dilectum, ac plurimis dum viveret, iisque ingentibus & honoribus & emolumentis honestatum. quod Tuo pariter, eoque recentissimo, beneficio non caruit. Donato scilicet a Te mihi nuper liberalissime ornatissimo* Basilii Porphyrogeniti, *quod appellant,* Menologio *splendidissimis illis tuis Urbinatibus typis regie excuso; quod perpetuum liberalitatis Tuæ, apud Publicam nostram*

hanc

hanc Bibliothecam monimentum, consecravi. Veteris denique ejusdemque perneceſſarii Amici Tui recordatio ac memoria in Græci Collegii commemoratione excitata munuſculum meum Tibi non ingratum poſſit efficere. Suffectus enim ſum hoc in Collegio a Moderatoribus meis, ut Græcis Alumnis Romanæ Fidei propugnanda traderem dogmata, in locum, quamvis longo proximus intervallo, in locum tamen JOANNIS BAPTISTAE, *Tibi chariſſimi & per Te Cardinalis,* SALERNI. *apud quem huc, dum junior eſſes, ventitare ferme quotidie, ſuaviſſimoſque pientiſſimos ac doctiſſimos ſermones protrahere Te ſolitum, mihi Ipſe narraſti. Quod ſi minimum*

hæc omnia apud Te (quod non metuam) pondus habitura ſint, meos hoſce libellos in clientelam Tuam accipias comis, quæſo obſecroque: Teque ſuſcepturum ob id certe confido, quod a PETRO MARCELLINO CORRADINO *Cardinale, primo Operis hujus Inventore, hi Tibi commendantur. Siquidem ipſe, ut eos Tuo Nomini inſcriberem auctor eſſe mihi voluit. Cujus Viri quanta fuerint ſemper apud Te auctoritas, dignitas, opinio, charitas, ſtudia, neceſſitudo, proxime habita Purpuratorum Patrum Comitia, in quibus Tu atque Tui nervos omnes ut exaltaretur, conſtantiſſime tamdiu intendiſtis, luculentiſſimo, eoque omnium graviſſimo teſti-*

ſtimonio, apud Gentes omnes fuerunt; inque omnes ætates erunt perpetuo. Vale, Cardinalis Ampliſſime, & Chriſtiani non minus quam Literarii Orbis utilitatibus diutiſsime vive. Hæc Tibi vovebam ex animo

Romæ in Græcorum, ad Sanctum Athanaſium Magnum, Collegio, Kalendis Sextilibus An. a V. P. CIↃ IↃ CC XXXII.

Er-

		Errata	Corrige
p.	8. *lin.* 6.	*Nunitus*	*Nuntius*
	42. 30.	Danacem	Danaem
	55. 4.	Ardentina	Ardeatina
	82. 19.	tantummovo	tantummodo
	87. 14.	conſenſum	conſenſu
	103. 23.	At	Et
	104. 11.	MVNILIP	MVNICIP
	136. *lin. ult.*	appellant	appellunt
	145. 4.	CVTIAE	CVRTIAE
	146. 25.	araæ	areæ
	152. 15.	*Palemona*	*Palamona*
	166. 22.	ſcilice	ſcilicet

LE-

LECTORI BENEVOLO

JOSEPHUS ROCCUS VULPIUS

SOCIETATIS JESU SAL.

LATII Veteris terminos, qua parte Occidentis Solis plagam ſpectat, Libris quos hic tibi ſiſtimus, Amice Lector, attigimus. De Laurentibus ii ſunt atque Oſtienſibus, quorum veſtigia præſentes, ut noſtri moris eſt atque inſtituti, relegimus, luſtravimus, & recoluimus. Quamquam antiqua nobis, & repetita ſæpius, nunc denuo eſt iteranda querela, ipſas ſcilicet etiam ruinas periiſſe, uſque adeo, ut de ſitu ipſo antiquarum urbium addubitetur, meritoque multiplex inter eruditos Antiquitatis inquiſitores earum ſuper loco, ubi nam potiſſimum conditæ fuerint, controverſia ſub judice adhuc pendeat indeciſa. De Laurenti, Lavinii, & Lauro-lavinii urbibus, inquam. Nam de Oſtienſi Colonia, utpote quæ poſteriora multo Laurentibus initia dúxerit, quonam fuerit primum exſtructa loco, ſatis convenit inter auctores; ob nominis etiam ejuſdem ad hæc uſque tempora perſeverantiam. De Laurentino quoque C. Plinii Cæcilii Secundi, villa ſcilicet in Agro Laurenti, ab hero ſuo in Epiſtolis, quæ exſtant, commendatiſſima, diſputant ſcriptores; ambiguntque de ſitu quem occupaverit. Nos ſingulorum primo ſententiis, rationumque momentis expenſis diligenter, quæ in nova detectorum monumentorum ad hanc diem luce conſtitutis quam veriſimillima viſa ſunt, ſtatuimus.

non

non tamen *ex cathedra*, quod ajunt, aut adacturi, ſacramento ſeſe in verba noſtra obligare Lectores noſtros, atque antiquum illud uſurpare αὐτὸς ἔφη. Licuit enim ſemperque licebit dubiis hiſce ſuper vetuſtiſſimis rebus libere cuique ſententiam proferre ſuam: prudentes præcipue conjecturas ſecuto, novaque detecta monumenta attendenti, quæ in obcuriſſimis hiſce antiquitatis tenebris incedenti firmius quam præcedentes horum veſtigiorum luſtratores potuerint, ad pedem figendum ſtabiliendumque adjumento ſint. Ceterum graviſſima cæli plaga atque intemperies, qua Laurens Tractus omnis, & Oſtienſis Ager, magnam anni partem, opprimitur, quæ potiſſima regionis hujus ſqualloris & ruinarum cauſſa fuit jamdiu, per hæc tempora diligentiori pacatiorique inquiſitioni eadem maximo eſt impedimento. Quamvis enim hæc loca tam prope Urbem dominam ſint, ut ſuburbana merito dici poſſint; inculta nihilominus, deſerta ac deſolata ſunt incredibiliter, corruptiſſimi vitio aeris. Fac enim te mitiſſimum huic oræ luſtrandæ anni tempus elegiſſe, fac inſtructum annona & vecturis probe inceſſiſſe, quemadmodum nobis, PETRI MARCELLINI CORRADINI Cardinalis munificentiſſimi liberalitate proxime elapſo vere feliciſſime contigit; non poſſis nihilominus, quam cupias, reſque ipſa poſcat, inquiſitionem habere. modo enim frequentiſſimi atque impediti ſſimi ſaltus luſtrationem intercipiunt, paludes modo ſe objectant, quas neque equis neque lintribus aliove inſtrumento poſſis pervadere. Quare conſiſtendum ſæpiſſime neceſſario eſt; circumeumdum, retrocedendum, procul ſtandum; ac de aliquo colle, aut potius tumulo, antiqua rudera contemplanda. Hoc quidem præſtitiſſe me, ſancte aſſeverare ac teſtari poſſum, ut quæcumque luſtrare licuit,

cuit, ea ſingula diligentiſſime inſpexerim terque quaterque, contulerim, recenſuerim; virorum etiam doctorum, qui hujuſce mihi luſtrationis eruditi ac volentes comites fuere, oculatiſſimo adhibito teſtimonio. Ceterum, me his Libris eruditiſſimum Philippum Cluverium, auctorem certe graviſſimum, fuiſſe ſecutum in plurimis, ut alias profeſſus ſum, hic quoque apertiſſime profiteri non omitto. Ligorium vero, nonniſi ea qua decuit cautela, & *ad abundantiam*, ut ajunt; in iis præcipue quæ illum finxiſſe veriſimile non eſt. Noveris autem, plures ipſos Lapides qui in Ligorianis Adverſariis leguntur, me exſtantes recenſuiſſe cum in cetero Latio, tum Romæ in Ædibus Farneſiis ad Circum Floræ, ſub tegulis ferme, repoſtos, vim multam; quos omnes fictitios eſſe, pæne incredibile eſt. Quare boni conſulas, Amice Lector, & utare, petimus. Si enim, quemadmodum præſtitiſti hactenus, favere pergas, ingentes profecto animos ad Opus noſtrum, non minimi ſane laboris ac temporis, quantocius abſolvendum addideris. Vale.

Antiqua locorum quæ in his libris deſcribuntur, nomina cum recentibus collata.

1. AD Decimum, *locus via Laurentina, decimo quondam ab Urbe lapide; unde illi nomen nunc* Decimo; *ubi prædia Gentis Torrigianæ Florentinæ in ditione Antiſtitis Oſtienſis. quamquam octo tantum ab recenti Roma locum diſtare, ex varia terminorum computatione, paſſuum millia nunc conſtet.*
2. Ad Nymphas *vel* ad Nymphas Catabaſſi, *locus juxta viam Portuenſem monumentis Sanctarum Virginum & Chriſti* Martyrum *Rufinæ & Secundæ olim celebris, juxta quem etiam urbs olim fuit. nunc in ditione Antiſtitis Portuenſis. Nomen illi de Sanctis iiſdem Virginibus Sponſis Chriſti. Græcis enim* νύμφη ſponſa *eſt.* Catabaſſi *autem ex corrupto Græco Latino vocabulo, ſcilicet* juxta buxos. κατὰ *n.* juxta. *ut* κατὰ θύμβας Catacombe, juxta tumbas & ſepulcra, *&c. Porro prope hunc locum* ad Nymphas Catabaſſi *prædium eſt Baſilicæ Vaticanæ, cui nomen* Bucea, *a buxo frequentiſſima ibidem ſata. loco* ad Nymphas, *nunc nomen ex Baronio* Santa Ninfa, *vel, ut aliis viſum,* Santa Rufina e Seconda.
3. Ad Sextum Philippi, *locus olim via Portuenſi, ubi & prædium* Miſſale *dictum. Sexto antiquo lapide ab Urbe diſtabat. nunc* Seſto miglio di ſtrada Porteſe.
4. Forum Aureliani, *oppidulum olim ab Aureliano Imperatore prope Oſtiam excitatum ad mare, quod brevi Prætorium & villa evaſit; jamdiu exciſum. loco nomen* Spiaggia d'Oſtia.
5. Inſula Tiberina, Inſula Sacra; *nunc* Iſola, *ſeu* Iſola di S. Ippolito, Iſola del Tevere, Iſola di Capo di rame, Iſola di Fiumicino, Iſola d'Oſtia, *ſeu tandem* Mezza paludoſa *ex Alberto. Locus a Tiberis duobus oſtiis & mari concluſus, gyro, ut perhibent, milliariorum octodecim, recedente continuo mari, & limum aggerente in ejuſdem Inſulæ nova ſemper incrementa. Diſtat Roma ejus initium, quod vulgo* Capo di rame, *ex duobus Tiberis ſeſe dividentis veluti ramis, paſſuum millia, ut perhibent, pl. m. quatuordecim.*
6. Lacus Oſtienſis, *nunc* Stagno di Levante *vel* Stagno d'Oſtia, *paluſtrium aquarum congregatio juxta urbem Oſtiam, aerem graviſſimum incolis creans. juxta hunc lacum antiqui aquæductus veſtigia olim viſebantur, ad Oſtiæ Coloniæ & villarum circa olim uſum.*
7. Lavinium, *urbs Veteris Latii antiquiſſima, Æneæ ac Laviniæ fabulis celeberrima, in Agro Laurenti jamdiu exciſa. Diſtabat Roma paſſuum millia circiter viginti. Loco nomen, ut pluribus quidem & mihi videtur,* Patrica, *ſive* Pratica, *in ditione Burgheſiorum Principum. quamquam Lavinii ſedes aliquibus ea credita, ubi Nariorum Romanorum latifundia, vulgo* la Petronella de' Nari, *aut* Monte di Leváno, *vel* di Leva de' Gabrielli, *ut quidem Holſtenio placuit, ultra oppi-*

dum

dum Patrica *in Ortum, paſſus mille quingentos. Fuit Lavinium tertio milliari a mari conditum; & male ſcriptores quidam illud cum Lanuvio confundunt, quod in Mediterraneis fuit, octo minimum milliariis a mari diſtans. Cui Lanuvio, eo quod recens nunc nomen* Civita Lavinia, *inde ſcilicet errandi incautis occaſio.*

8. Laurentinum C. Plinii Cæcilii Secundi *villa in Agro Laurenti. Loco nomen nunc* Piaſtra, *ad mare prope Oſtiam in latifundiis* Sacchettorum, *vulgo* la Tenuta della Spinerba, *a ſpinis & herba.*

9. Laurentum, *urbs Veteris Latii antiquiſſima juxta mare, haud ita procul ab Oſtiis Tiberinis, ab ea nomen Agro & Tractui, Silvis quoque & Paludibus Laurentibus & Laurentinis. ipſi vero urbi nomen ab* Lauro *arbore. Aliquibus ſedes ejus jamdiu exciſæ, creditur locus* S. Lorenzo *vel* Torre di S. Lorenzo, *nominis affinitate & viæ Laurentinæ tramite inductis. Pluribus tamen melius* Paterno, & Torre di Paterno, *ubi rudera ingentia longo tractu ædificiorum & Aquæductus.*

10 Lauro-lavinium, *idem quod* Laurentum *vel* Lavinium, *cum e duabus his urbibus una tantum facta fuerit, declinante jam Romani Imperii majeſtate. Vel enim Laurentes Lavinium, vel certe Lavinienſes Laurentum translati ſunt. Unde urbi commune vocabulum* Lauro-lavinium, *& Civibus* Laurentes-lavinates. *Quare vel loco fuit ubi nunc* Paterno, & Torre di Paterno, *vel ubi oppidum* Patrica *cum reliquis, juxta varias de Laurenti ac Lavinii ſede ſententias.*

11. Lucus Jovis Indigetis, *locus in antiqui Lavinii vicinia ſitus, ubi Silva Æneæ ſacra, qui ſub* Jovis Indigetis *nomine a Priſcis Latinis eſt cultus. ab appellatione quam huic heroi peculiariter tribuere Latini, ſcilicet* Patris *(ut Virgilius fere ſemper,* Pater Æneas *) loco & luco nomen* Patrica, *& corrupte* Pratica, *derivatum, ſunt qui cenſeant. Quare ut ſuus cuique ſitus adſignetur, ex horum ſententia, Lavinii ſedes circa oppidum* Patrica *fuit;* Lucus Jovis Indigetis, *ubi nunc ipſum oppidum* Patrica, *ſitus & ſatus fuit.*

12. Nemus Annæ Perennæ, *ſilva huic fabuloſo profanorum numini ſacra circa Lavinium & Numicium amnem, nunc Holſtenio atque aliis locus circa oppidum* Patrica, *cui nomen* Tenuta della Petronella de' Nari.

13. Numicius *vel* Numicus, *fluviolus Veteris Latii Ardeam inter atque Lavinium, fabulis Trojanorum celebris, quæ his libris explicantur; nomen illi nunc* Rivo *vel* Rivo di Nemi. *inter ſilvulas hinc atque hinc nunc quoque parvus in mare ſe exonerat.*

14. Oſtia, & Hoſtia, Oſtia Tiberina, *urbs olim ad Tiberis ſiniſtrum oſtium ædificata, celebris Colonia Romanorum, Portu aucta, & divitiis affluens. nunc pæne deſolata ob cæli gravitatem; nomen tamen retinuit, nunc quoque* Oſtia *vocata. Informia rudera ejuſdem multa adhuc ſuperſunt, loco qui dicitur* Torre di Bovacciano.

15. Portus Oſtienſis, Portus Romanus, Portus Claudii, Portus Trajani,

jani, Portus Augusti, *(his enim nominibus, aliis alias, appellatus est) locus prope dexterum Tiberis fluvii ostium, molibus munitus ad navium tutam stationem. juxta quem ingentia olim ædificia, & Christianis sæculis urbs quoque proprio Antistite insignita, qui* Portuensis *est dictus. Jacet jamdiu excisa urbs, si paucula excipias vestigia, in quibus adhuc Antistitis sedes cum Æde sacra. Loco nomen vetustum mansit* Porto. *Sinui vero Claudii,* Trojana, *& Portui Trajano,* Trojanella.

16. Salinæ Ostienses *ab priscis Romanis exstructæ perseverant adhuc. loco nomen* il Casone del Sale.

17. Tiberis, Albula *&c. notissimus fluvius Romam præterfluens. Veteris Latii Occidentalis terminus.* Il Tevere, *vel poetice,* il Tebro. *duobus ostiis in mare se se exonerat. sinistro, quod majus est, nunc nomen* la Fiumara: *dextero minori,* Fiumicino.

18. Troja Nova, *castrum antiquissimis temporibus ab Ænea in Laurenti littore exstructum, Virgilianis fabulis celebre, eo loco perhibent qui de magnis majora loquuntur, situm ubi nunc* lo Stagno d'Ostia, *vel* Spiagia d'Ostia.

19. Via Laurentina, *olim una ex Consularibus, ex Porta Ostiensi Laurentum ducebat. incipit hodie secundo circiter lapide sinistrorsum ab Ostiensi, diciturque* Via delle tre Fontane.

20. Via *&* Porta Ostiensis *Ostiam duxit & ducit. Portæ nomen* Porta San Paolo: *Viæ,* Strada di Ostia.

21. Via *&* Porta Portuensis *duxit ducitque ad Portum Romanum, & ad dexterum Tiberis ostium. Portæ nomen* Porta Portese: *Viæ,* Strada di Fiumicino e Porto.

22. Villa Porciliæ Gentis, *in Laurentino fuit ubi nunc ex vetusto nomen loco est* Porcigliano, *ibi latifundia Gentis Neriæ Florentinæ visuntur.*

INDEX CAPITUM.

LIBER DECIMUS.

DE LAURENTIBUS.

Cap. i. *De Laurento-Lavinio & Lauro-Lavinio oppidis.* Pag. 1

Cap. ii. *De Agro Laurenti, & Castro Troja Nova, in eo antiquissimis temporibus excitato.* 32

Cap. iii. *De Villis, atque Sepulcris antiquitus in Agro Laurenti exstructis.* 43

Cap. iv. *De Laurentium Templis, & Religionibus.* 58

Cap. v. *De Numicio Flumine, & Luco Jovis Indigetis, atque Annæ Perennæ in Agro Laurenti.* 81

Cap. vi. *De Coloniis Laurentum ac Lavinium deductis, earumque Claris Viris & Familiis.* 96

Cap. vii. *De Familiis Laurentibus, Lavinatibus, & Lauro-lavinatibus apud Romanos illustribus.* 120

LIBER UNDECIMUS.

DE OSTIENSIBUS.

Cap. i. *De Conditore, Situ, & Appellatione Urbis Ostiæ.* 129

Cap. ii. *De Portu Ostiensi.* 139

Cap. iii. *De Insula Sacra inter Ostia Tiberina.* 164

Cap. iv. *De Colonia Ostiensi.* 171

Cap. v. *De Via & Agro Ostiensi.* 185

Cap. vi. *De Ostiensium Templis, aliisque vetustis Ædificiis.* 196

Cap. vii. *De Collegiis sive Corporibus Artificum Coloniæ Ostiensis.* 207

Cap. viii. *De Tiberi Flumine, Veteris Latii limite Occidentali.* 215

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUM Librum cui titulus: *Vetus Latium. Tomus Sextus, in quo agitur de Laurentibus, & Ostiensibus*, a P. Josepho Rocco Vulpio Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Religiosi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 15. Junii 1733.

FRANCISCUS RETZ.

Locus ✻ Sigilli.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Antonio Girolamo Cagnacci, Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *Vetus Latium Profanum. Tomus Sextus &c. Auctore Josepho Rocco Vulpio Soc. Jesu*, non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino* Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. Novembre 1733.

(Gio: Francesco Morosini Cav. Rif.
(Andrea Soranzo Proc. Rif.
(Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.

Agostino Gadaldini Segret.

VE-

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DECIMUS

DE LAURENTIBUS,

AUCTORE
JOSEPHO ROCCO VULPIO
SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Laurento Lavinio & Lauro-Lavinio Oppidis.

B Ardeatibus, proximo superiore libro, illustratis, ad finitimos eorum Laurentes descendimus; populum antiquissimis temporibus, Latii universi Principem, ac potentem. In hujus vetustissimis monumentis eruendis, ab oppidi, seu verius oppidorum, in quibus olim regnavit, nominibus, eorumque conditoribus, ac situ (quem morem hactenus secuti sumus) commemorandis, ordiemur. Itaque, in ea Tyrrheni, sive Inferi, maris ora quæ Antium inter ac Tiberis fluvii ostia late protendi-

tur, tractus fuit, quem pervetusto vocabulo Latini *Laurentum* appellavere. Caussa nominis, frequentissima per eas silvas Lauri arboris satio, seu potius ex ipso nativo soli ingenio, frequentissimus Lauri proventus. Hinc congruum loco nomen, Laurentum. Ita Auctor libri qui de Origine Romanæ Gentis inscribitur: *Inde ad eam Italiæ oram, quæ ab arbusto ejusdem generis, Laurens adpellata est, Latino regnante, pervectus Æneas*. Herodianus *a* vero Græcus auctor, Commodum Imperatorem, ab pestilentia, quæ ingens pene universam Italiam fœdaverat, funeribusque repleverat, in tuto se se recepisse, in Laurentem agrum commemorans, loco nomen, ab Lauri satione impositum, ita descripsit. Τότε ὁ Κόμμοδος, συμβουλευσάντων αὐτῷ τινων ἰατρῶν, εἰς τὴν Λαύρεντον ἀνεχώρησεν. εὐψυχέστερον γὰρ τὸ χωρίον, καὶ μεγίστοις κατάσκιον δαφνηφόρις ἄλσεσιν (Ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα τῷ χωρίῳ) σωτήριον εἶναι ἐδόκει, καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν, ἀντέχειν ἐλέγετο, εὐῳδίᾳ τε τῆς τῶν δένδρων ἡδείας σκιᾶς. scilicet: *Tum Commodus, suadentibus ipsi quibusdam medicis, in Laurenti regionem secessit. frigidior namque ea regio, & maximis opaca Lauriferis silvis (unde etiam regioni nomen) salubris esse videbatur, & contra aeris corruptelam vim habere dicebatur; bono item odore arborum placidæ umbræ*. Hinc posterioribus sæculis locus idem *Laurentina Silva* fuit appellatus. Nam Julius Obsequens, in suo de Prodigiis Commentario, de M. Æmilio, & C. Hostilio Mancino Coss. locutus, *Cum*, inquit, *Lavinii auspicarentur; pulli e cavea in silvam Laurentinam evolarunt, neque inventi sunt*. Quod idem Valerius Maximus *b* confirmavit, aliique scriptores, quos opportune infra recitabimus. Sane frequentissimi fuere circa universam maritimam Latii oram saltus ex Lauro ac myrto, (ut vel ex præsentibus passim vestigiis apparet) qui alicubi in ingentes ipsas silvas, eo quod antiquis incædui essent, excreverant.

a *Lib.* 1.

b *Lib.* 1. *cap.* 6.

Quod

Quod ſaluberrimum regioni maxime erat. Cum enim hæc ora univerſa, in meridiem fere vergens, auſtralibus morboſis ventis ſit expoſita, ac Lybico nominatim corporibus graviſſimo; eæ ſilvæ juxta littus ſatæ primos eorum validiſſimos impetus, ac noxios flatus excipiebant, frangebantque; dumque agitarentur, odoros ac ſalubres halitus ex ſe ſe emittebant; quibus maligni ac morboſi ventorum ſpiritus temperabantur; ac proinde aeris ſalubritatem, ne a marinis ventis inficeretur, conſervabant. Cæſis autem, aut exſiccatis ejuſmodi ſilvis; impune, qua data porta, ruentes venti, peſtiferam in eamdem Latii univerſi oram, aeris corruptelam, qua modo laborat hæc regio, longe lateque invexere. Veteres autem Latini Romanique, Lauri, ob ejus eximias dotes, amantiſſimi cultores fuere. Unde non ſolum incæduos hujus arboris nativos ac ſpontaneos ſaltus, in quamlibet magnitudinem augeri, permiſere; verum ipſi inter villarum amœniores delicias, ipſarumque urbanarum domorum intra tecta, ſilvulas, luculos, ac nemora ex continua Lauro ſerebant. Quæ loca, Græco vocabulo, *Daphnónas* vocabant, Latine vero *Laureta*. Eſt enim Laurus deliciis apta quam maxime; cum non ſolum pulchris ac latis ornetur frondibus; verum etiam ſemper virentibus, bacciſque odoris gratiſſimi, ac medicam in ſe vim, præcipue adverſus peſtiferos halitus, continentibus. A fulmine quoque illæſam perpetuo eſſe hanc arborem, antiquis fuit perſuaſum. Quare ex ea Coronæ, quæ *Laureæ* dictæ, victoribus Imperatoribus, ac militibus, in triumphi pompa, geſtari; Cæſaribus etiam extra triumphum; templorum item ac privatarum quoque domorum, nuptiarum præcipue die; nec non Curiæ foribus imponi, ob lætitiæ ac ſalubritatis argumentum, atque omen, con-

fuevere. Ceterum, Laurentum, Latina regio, de qua nobis hic ſermo, ab Græcis quibuſdam, quos eruditiſſimus Philippus *a* Cluverius affert, & *Lorentum*, & *Loretum* fuit appellata. familiari ſane Latinis elementorum *a* & *u* in *o* contractione; ut ex *Claudio Clodium*, ex *Plautia* gente *Plotiam*, ex *Plauſtro* & *Clauſtro Ploſtrum* & *Cloſtrum*, aliaque ſexcenta confecere. Et vicos *b* duos Romæ ex Lauro olim hinc & inde conſitos *Vicum Loreti majoris*, & *Loreti minoris* nominavere. Laurentum vero Latinorum, *Laurentis* quoque *Agri* & *Laurentium* ac *Laurentinorum Camporum* nomen obtinuit; ut pluribus infra teſtimoniis conſtabit. Latiſſime autem, *Laurentium agrorum* ſive *arvorum* vocabulo totum ipſum Latium a Poetis, vocum affinitate plerumque abutentibus, uſurpatum eſt. ex eo quod Latinorum Regia, Laurentum oppidum, in agro Laurenti ſitum, antiquiſſimis temporibus, fuiſſet. quem loquendi modum etiam Euſebius Hiſtoricus uſurpavit. ait namque: Πρῶτόν φασι Πεῖκον υἱὸν Κρόνου βασιλεῦσαι χώρας Λαυρεντε λζ' ἔτη. εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νυνὶ Ῥώμης Πόλεως. *Primo ferunt, Picum Saturni filium regnaſſe annos ſeptem & triginta in Laurenti regione. eſſe autem eam regionem etiamnum Romæ Urbis.* Ceterum, Laurentum, non modo regio in ora Veteris Latii maritima, Antium inter atque oſtia Tiberis protenſa, fuit; verum & oppidum in ea regione, ad mare ſitum, ac fabulis celeberrimum. Hoc ab Latino Rege conditum, ſeu arce auctum, inventa inibi eximiæ magnitudinis ac pulchritudinis Lauro, Virgilius tradidit: *c*

Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multoſque metu ſervata per annos;
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus;
Laurentiſque ab ea nomen poſuiſſe colonis.

a *Lib.* 3. *Ital. Antiq. p.* 885.

b *P. Victor de Region. Urb. Romæ.*

c *Æn. l.* 7. *v.* 59.

Con-

Conditum, inquam, ſeu potius arce auctum, a Latino Laurentum oppidum fuiſſe, his verſibus memoravit Maro. Cum enim eodem libro Latini Regiam eamdem *Laurentis Pici* Regiam dixerit, ac Picum Latini avum: ne ſecum poeta pugnet, dicendum; a Pico quidem, ex Virgilii ſententia, Laurentum urbem primo excitatam, atque ita ex vicina Laurorum ſilva appellatam; ceterum ab nepote ejus Latino arce, in ſumma oppidi parte, auctam ac munitam fuiſſe. De præclara vero illa Lauro, reliquiis, ſcilicet, Laurentinæ ſilvæ, in condendo oppido ab avo Pico disjectæ, inventa, antiquum ceteroquin, colonis nomen *Laurentes*, ſive *Laurentos*, Latinum ipſum ex eo confirmaſſe. Profecto, Laurentum, oppidum Latii maritimum, inter Antium ac Tiberina Oſtia, quondam exſtitiſſe, Veteres inter Auctores ſatis convenit. Strabo *a* enim Πόλεις δὲ inquit, ἐπὶ θαλάττῃ μὲν εἰσὶ τῶν Λατίνων τάτε Ὤστια, καὶ Ἄντιον: ἀνὰ μέσον δὲ τούτων, Λαυίνιον: εἶτα Λαύρεντον. *Urbes autem ſupra mare ſunt Latinorum, et Oſtia et Antium: per medium autem harum, Lavinium: poſtea Laurentum.* Pomponius *b* Mela ſic eas enumerat: *Oſtia, Laurentum, Ardea.* Plinius *c* vero: *In principio eſt Oſtia Colonia, a Romano Rege deducta: oppidum Laurentum: Lucus Jovis Indigetis: amnis Numicius: Ardea.* Jam vero ab Ardea, Occidentem Solem verſus, maritimo tamen, ſeu potius non longe a littore, itinere progredientibus (quod nos in hac Latii deſcriptione nunc facimus) occurriſſe primo Lavinium, mox Laurentum, ex antiquis itinerariis Tabulis conſtat. Ex quibus etiam, ſitum ipſum Laurenti oppidi, quantumque ab Antio, ab Oſtiis quantum, diſtaret, doceri potuiſſemus; niſi locorum diſtantiæ ab exſcriptoribus Tabularum earumdem, certo certius, quamplurimis locis corruptæ ad nos perveniſsent. Nam in antiqua Tabula ſeries loco-

a *Lib.* 5.

b *Lib.* 2. *c.* 4.

c *Lib.* 3. *c.* 5.

corum ac diſtantiarum hæc eſt: *Roma. Hoſtis XVI. Laurento XVI. Lavinium VI. Antium XVII.* Antonini vero Itinerarium hæc habet: *Roma. Hoſtis XVI. Laurento XVI. Lavinio XVI.* Quare ex hac inconſtantia, quo potiſſimum, inter Antium atque Oſtia, loco Laurentum oppidum fuerit, incertum redditur. Ex iis tamen quæ fuſe infra diſſeremus, ubi ſedem potiſſimum Laurenti & Lavinii oppidorum, ex iis quæ adhuc ſuperfuere monumentis ac reliquiis ſedulo veſtigabimus; optime ſane colligitur, Laurentum oppidum haud ita procul ab Oſtiis Tiberinis, atque adeo ipſum prope Tiberim, exſtructum fuiſſe. Nam quod ad viciniam Tiberis attinet; diſerte id veteres ſcriptores teſta-
a *Lib.* 7. ti ſunt. Siquidem Livius inquit *a*: *Ora littoris Antiatis, Laurenſque tractus, & Tiberis Oſtia.* Strabo autem: Φασὶ δ', Αἰνείαν καπάρασθαι εἰς Λαύρεντον πλησίον τῶν Ὠστίων τοῦ τιβέρεως. *Ajunt Æneam appuliſſe ad Laurentum, prope Oſtiam & Tiberim.* Dionyſius vero de Trojanis pariter locutus, Κατέχον, inquit, εἰς Λαύρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβοριγίνων ὑπὲρ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους κείμενον, ὀλίγῳ πρόσω τῶν ἐκβολῶν τοῦ τιβέρεως. *Appulerunt ad Laurentum, littus Aboriginum, ſuper Tyrrheno pelago jacens, non longe a Tiberis Oſtiis.* Et eodem libro poſtea (Græca conſulto omittimus) *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. Ubi errorum fine invento, vallum excitavere.* & rurſum: *Laurentum adpulſi, tentoria fixerunt per littora.* Denique: *Solventes ab Sicilia trajiciunt mare Tyrrhenicum: tandemque Laurentum, Aboriginum ad littus, perveniunt; acceptoque illo agro, condiderunt in eo Lavinium.* Duo itaque ſignificare Græci iſti auctores nobis voluerunt: alterum quidem; Laurentum oppidum haud procul a Tiberi fluvio ſitum: alterum vero; Laurentem, ſive Laurentinum, agrum, ad quem appuliſſe ajunt Æneam, ad Tiberim uſque protenſum fuiſſe. Siquidem, in Tiberis lævum oſtium adpuliſſe Æneam, ibique Urbem

bem ſeu Caſtrum, *Novam Trojam* nomine, excitaſſe, conſtans obtinuit fama. Conſonat Livius *a*: *Ab Sicilia, claſſe Laurentem agrum tenuiſse. Troja huic loco nomen eſt. ibi egreſſi Trojani*. Ceterum, Laurentum urbem, Priſcorum, atque adeo primorum Latinorum Regiam, Virgilio neminem melius deſcripſiſſe, crediderim. quamquam, poeticam illum per licentiam, addidiſſe multa veris, atque fabulis exornaſſe, ſatis noverim. Ex ejus itaque penu (quandoquidem Hiſtoricorum firmiora non ſuppetunt teſtimonia) urbis ipſius antiquiſſimæ deſcriptionem proferimus. Ac primo quidem, ex Marone colligitur; Laurentum haud quidem procul a Tiberi ſitum fuiſſe, ſupra, ſive juxta mare; non tamen in ipſis Tiberis ripis. quod ex allatis nuper veterum monumentis, fortaſſe aliquis exiſtimaſſet. cum enim Maro, Trojanos cum Ænea Tiberim ratibus ſubjiſſe, dixiſſet; illos, terreſtri itinere, ad ipſam Laurenti urbem, aliquot milliariis ab Tiberi, & loco Trojanorum egreſſûs, diſtantem, perrexiſſe, ſic retulit: *b*

a *Lib.* 1.

b *Æn. lib.* 7. *v.* 160. *& ſeqq.*

Jamque iter emenſi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque ſubibant.

Ex quibus etiam apparet, Laurentum in aliquo colle, vel certe tumulo, nonnihil ſupra planitiem edito, conſtitutum fuiſſe. nam ejus tecta vates dixit *ardua:* niſi tamen ad eorumdem tectorum in altum exſtructorum ſublimitatem, verbum illud revocare malis. Verum cum infra, Regiam *urbe ſumma* fuiſſe, dicat; dubium omne, num in colle ſita fuerit, penitus tollit. Turribus quoque ædificatam urbem, oſtendit; quo potentiam ac robur ejus maxime deſignat. Mox Laurentium civium mores exhibet; ac denique Regiæ Laurentis magnificentiam, his verſibus:

Ante

Ante urbem pueri, & primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cum prævectus equo, longævi Regis ad aures
Nunitus, ingentes ignota in veste, reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat: & solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa; Laurentis Regia Pici;
Horrendum silvis, & relligione parentum.
Hic sceptra accipere, & primos adtollere fasces,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum:
Hæ sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam, veterum effigies, ex ordine, avorum
Antiqua e cedro; Italusque, paterque Sabinus,
Vitisator; curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant; aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm, patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit.

Quod tam præclarum Virgilii testimonium, licet longiusculum, integrum tamen huc adduxisse, ope-

ræ

ræ pretium, exiſtimavimus. quoniam ex eo quamplurima, circa urbem, Regiam, & Reges, civeſque Laurenti, monumenta vetuſtiſſima nobis ſignificantur. Siquidem hic & ſitum urbis, & regiæ domus magnificentiam, & Regum ſeriem atque originem; potentiam quoque, ac relata ex hoſtibus ſpolia; ſacra denique ac religionem & mores Laurentium præcipuos, eleganter deſcriptos habes. Porro & Conditorem urbis Laurenti, ex iiſdem Maronis carminibus, ubi dicit *Laurentis Regia Pici*, Picum ipſum Regem fuiſſe, plerique omnes deducunt. Si Viterbienſem Annium, eumque perpaucos ſecutos exceperis, qui *Lariſſam* quamdam urbem, Aboriginum olim principem & caput, eamdem cum Laurento fuiſſe, proprio tantum e cerebro divinantes, aſſeverarunt. Fuit autem Picus (quemadmodum in fabuloſi Heroum ſæculi Hiſtoria legimus) Rex Aboriginum, Saturni filius, Fauni ſucceſſoris in regno pater, ac Latini avus, Picæ, alias Pomonæ & Circes, maritus. a qua in avem auguralem *Picum*, cognominem, ne alterius mulieris amore teneretur, metu, mutatum, idcirco veteres commenti ſunt; quod in augurandi ac de futuris divinandi arte, foret excellentiſſimus; & pico ave ad auguria, ſive oracula, captanda, potiſſimum uteretur. Pici genus ac ſtirpem ita Virgilius: *a*

a *Æn. l. 7. v. 45.*

Rex arva Latinus & urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater: iſque parentem
Te, Saturne, refert.

Huic tamquam urbis Conditori Laurentes ſacrificabant. Eumdemque aris ac templo ſub *Martis Latini*, ſeu *Pici Martii*, nomine auxerunt. quod infra, ubi de templis ac ſacris Laurentium, fuſius exponemus.

Interea *Laurentis* nomen Maricæ nymphæ Latini Regis matri tributum, Laurentinos fines ultra ipsum Vetus Latium, atque adeo ad ipsius Liris amnis ripas, qui Novi Latii ultimus limes fuit, produceret: nisi per merum abusum vocabuli id cognomen a poeta tributum Maricæ, plane sciremus. ex eo quod Fauno Laurenti Laurentiumque Regi nupserat; & intra Laurentum urbem cum conjuge regnaverat. Certe Marica nympha, Liris amnis custos, prope Minturnas, templo culta perhibetur, *a* & luco. fuisse autem Maricæ templum juxta Lirim amnem, & Horatius *b* tradidit, ad mare:

a *Strab. lib.* 5. *Liv. lib.* 7.

b *Lib.* 3. *Carm. Od.* 17.

Qui Formiarum Mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim.

& Lucanus: *c*

c *Lib.* 2.

Umbrosæ Liris per regna Maricæ.

Paulo minori etiam vocis abusu, idem Maro Turnum Ardeæ Regem, Rutulum genere, *Laurentem* nominavit. Quia Rutuli Laurentibus finitimi erant; & Turnus Latini Laurentis, per Amatam uxorem, affinis erat. Quamvis enim Dionysius, Turnum transfugam Latinorum, adeoque Laurentem genere fuisse, dixerit; Virgilius tamen, qui illum Ardeæ Rutulorum Regem constanter ac toties fecit, eumdem nonnisi per abusum, & propter vicinitatem & affinitatem, *Laurentem* potuit nominare. nominavit autem sic: *d*

d *Æn. lib.* 7. *v.* 649.

Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Hunc imitatus Statius, *e Cedant*, inquit, *Laurentia Turni jugera*. Tiberim quidem meliori jure Virgilius Laurentem dixit; siquidem ad lævam usque ejus fluminis ripam, Laurentes campi pertingebant. merito itaque legimus: *f*

e *Silv. lib.* 1. *carm.* 2.

f *Æn. lib.* 5. *v.* 797.

Li-

-- -- *Liceat Laurentem attingere Tybrim.*

Jam vero urbis Laurenti cives, ejuſque agri incolæ, *Laurenti* ipſi quoque tum a Virgilio, ajente, Latinum feciſſe nomen colonis, *Laurentis*, in caſu dandi, & numero multitudinis; tum a Plinio *a* dicente *Vinaciolam vitem ſoli* noverunt *Sabini & Laurenti*, nominati videntur. Dubitant interpretes tamen de utriuſque auctoris lectione. & in Virgilio legendum, *Laurenteſque ab ea nomen feciſſe colonis*, autumant: in Plinio vero, *Sabini & Laurentini*, legendum cenſent; cum hic auctor Laurentes ſæpe alibi *Laurentinos* appellare conſueverit. *Laurentes* quidem etiam *Laurentinos* dictos plerumque ab auctoribus, ex iis quæ hactenus protulimus teſtimoniis, quæque toto hoc Libro proferemus, ſatis conſtat. Ceterum & *Laurentios* ab Græcis Latiniſque eoſdem aliquando nominatos, comperimus. Namque apud Virgilium *b Laurentia palus*, & apud Plutarchum *c urbem Laurentiorum* τὴν πόλιν τῶν Λαυρεντίων, legitur. Iidem cives ac populi agrique, *Lauro-lavinates* quoque vocati, & urbs eorum *Lauro-lavinium* poſterioribus ſæculis dicta. Unde autem hoc? infra diligenter examinabimus.

a *Lib.* 14. *c.* 3.

b *Æneid. lib.* 10. *v.* 709.

c *In Romul.*

Interea, Laurentes ab *Lavinatibus*, ſeu *Laviniatibus*, aut *Lavinienſibus*, diſtinctum atque diſcretum omnino populum; Laurentiumque ac Lavinium duas omnino, aliam alio loco conditam, urbes fuiſſe, demonſtremus. Quod ſcriptores non pauci, anteactis duobus ab hinc ſæculis, plane non viderunt, aut certe non attenderunt. Sed ex quamplurimis inſcriptis vetuſtis lapidibus, in quibus vel *Lauro-lavinii*, vel *Laurentum-lavinatum* fit mentio, decepti; unum atque idem oppidum, Laurentum ac Lavinium, ab initio ſui fuiſſe, cum ſibi ſuaſiſſent, aliis quoque perſuadere conati ſunt. Itaque Lavinium oppidum, in

agro quidem Laurenti, verum ab urbe Laurento discretum, distinctum, atque aliud omnino, certo certius, fuit. Hæc certa eorum discrimina. quod Laurentum multo antiquius Lavinio conditum fuerat a Pico, vel Latino, Rege Aboriginum. Ab Æneâ vero Trojanorum duce Lavinium, posterius, conditum. Laurentum pluribus jam sæculis Aboriginum regia urbs ac regionis princeps & caput fuerat; rebus etiam bellicis præclare terra marique gestis jam insignis describitur, cum Lavinium sua, per Æneam, cunabula sortitum est. Urbis Laurenti situs, ad mare, non longe a Tiberis Ostiis, fuisse scimus; Lavinii vero sedem, tribus, ut minimum, milliariis, a mari distasse, haud procul ab Numicii amnis ripa, docemur. Ab Lauri silvis & Lauro inventa, Laurentum nomen desumsit; Lavinium vero a Lavinia Latini Regis filia, Æneæ in uxorem tradita. Denique apud veteres scriptores omnes, Laurentum atque Lavinium tanquam duo oppida diversa plane ac distincta, passim nominantur ac describuntur. Num æquus quisquam rerum æstimator clariora his atque apertiora discretionis argumenta desideret? At, inquies, fabulosa omnino quæ de Æneæ in Italiam adventu, Lavinioque per ipsum condito feruntur, vel ipso Cluverio contendente, fuerunt. Esto quidem. quid tamen inde? num negare poterit aliquis, Æneæ adventum ad Laurentia littora, atque ea omnia quæ de ipso scriptores Græci Latinique, Poetæ pariter & Historici memorarunt, ab antiquitate omni habita fuisse pro veris? Romanos ab Latinis antiquis ortos, e Trojano sanguine, per Æneam ejusque socios derivato, sese & credidisse & jactasse? templa eidem Æneæ, per Latium, sub variis nominibus, dedicasse? ritus quamplurimos in sacrificiis, cultu quoque humano,

mano, ac victu, mores permultos ab Trojanis, ipſoque Ænea acceptos, conſtanti fama traditum ſemper atque vulgatum? Argumenta denique quamplurima Æneæ in Latium adventus ſingulis ætatibus oſtenſa? quæ, ubi de Numicio amne & Jovis Indigetis Luco in agro Laurenti, recenſebimus. Perinde igitur eſt mihi, Æneas ad Laurens littus unquam vere appulerit, nec ne; cum apud omnes omnino auctores conveniat, Æneæ ipſius adventum, fabuloſum aut verum, totius antiquioris Latinæ Hiſtoriæ fundamentum exſtitiſſe. Quare etiamſi adventum illum negarem; ſtaret adhuc nihilominus, Lavinium oppidum fuiſſe in Veteri Latio; quod ab Ænea conditum, antiqui ſcriptores memorant; antiquioreſque ſcriptoribus populi crediderunt: idque oppidum ab alio, *Laurentum* appellato, fuiſſe diſtinctum.

Verum, huic veterum ſcriptorum concordiæ ſe interſerit, atque obſtrepit Servius Grammaticus, Virgilii interpres, auctor ille quidem neque recens, neque ſpernendus: aitque unum atque idem omnino oppidum, *Laurentum* prius appellatum; mox *Lavinium*; ac tandem *Lauro-lavinium*. En ejus verba, ſub libri primi Æneidos initium. *Italia*, inquit, *pars Europæ eſt. Italus enim Rex Siculorum profectus a Sicilia, venit ad loca quæ ſunt juxta Tiberim: & ex nomine ſuo adpellavit Italiam. Ibi autem habitaſſe Siculos, ubi eſt nunc Lauro-lavinium, manifeſtum eſt.* & paulo poſt: *Hæc civitas tria habuit nomina. nam primum Lavinum dicta eſt a Lavino Latini fratre; poſtea Laurentum a Lauro, inventa a Latino, dum adepto imperio, poſt mortem fratris, civitatem augeret. poſt Lavinium, a Lavinia uxore Æneæ. Ergo aut Lavinum debuit dicere* (Virgilius) *ſicut dixit, aut Laurentum littora. Lavinum, conſtat, VIII. milliaribus a mari remotum. nec nos debet fallere, quia dixit, Lavina littora;*

tora; *littus enim dicitur terra quæque mari vicina*. Et ad Æneidos librum ſeptimum: *Laurentum a Pico factum*; *ut: Laurentis Regia Pici*. *item a Lavino Latini fratre eſt Lavinum dictum*. *item a Latino Laurentum*. *item a Lavinia Lauro-lavinium*. & ad librum ſextum: *Æneas, ut Cato dicit, ſimul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem*. *propter quod Turnus iratus, tam in Latinum, quam in Æneam bella ſuſcepit*; *a Mezentio impetratis auxiliis*. *ſed, ut ſupra diximus, primo bello periit Latinus: ſecundo pariter Turnus & Æneas*. *poſtea Mezentium interemit Aſcanius*; *& Lauro-lavinium tenuit*. *Cujus Lavinia timens inſidias, gravida confugit ad ſilvas*; *& illic enixa eſt Silvium*. *Sed cum Aſcanius flagraret invidia*; *evocavit novercam, & ei conceſſit Lauro-lavinium: ſibi vero Albam conſtituit*. Item ad librum quartum: *Cato dicit, juxta Lauro-lavinium, cum Æneæ ſocii prædas agerent, prælium commiſſum*; *in quo Latinus occiſus eſt*; *fugit Turnus, & Mezentii auxilio comparato, renovavit prælium*. *qui quidem victus eſt ab Æneа*; *Æneas autem poſt prælium non comparuit*. *Aſcanius vero poſtea Mezentium interemit*. En ut diſertis verbis hic auctor tradit, repetitque non ſemel conſtanter, Laurentum, Lavinium, ac Lauro-lavinium unum idemque omnino oppidum, aliis alia ætate nominibus, appellatum fuiſſe. Pace tamen Servii Honorati Mauri Grammatici illuſtris, celebris Virgilii interpretis, ac, ut accepimus, Divi Hieronymi Doctoris Maximi, in grammaticis præceptionibus Magiſtri, pace, inquam, illius dixerim; falſa omnino, hactenus relatis verbis, quantum quidem ad Laurenti, Lavinii, & Lauro-lavinii hiſtoriam, protulit. Nam ea præter quæ ad Laurenti Laviniique oppidorum diſtinctionem oſtendendum, a nobis hactenus allata ſunt teſtimonia, quæque per totum hunc de Laurentibus librum deinceps afferentur, vel ſola antiqua Itineraria Servium

fal-

falſitatis convincunt; dum conſtanter Lavinium atque Laurentum duo diſtincta oppida, ſpatiiſque non modicis inter ſe ſe diſtantia, adſignant. En illa rurſus. Tabula itineraria quæ Antiqua dicitur, ſic: *Roma. Hoſtis XVI. Laurento XVI. Lavinium VI. Antium XVII.* Antonini vero Itinerarium: *Roma. Hoſtis XVI. Laurento XVI. Lavinio XVI.* Ceterum, Servius, ut in aliis quamplurimis, quæ accuratiſſimi recentes ſcriptores multi, liquidiſſimo, deprehenderunt, ideo in hac narratione falſus eſt; quod ſua ætate (floruit is ſub Conſtantino Magno ac ejuſdem filio Conſtantio) Laurentum jam *Lauro-lavinium* dicebatur. Lavinii vero vix nomen ac reliquiæ perpaucæ exſtabant; nec antiquas itinerarias Tabulas, a nobis allatas, viderat. Atqui, ejus error vel ex eo ſatis convincitur, quod, Lavinium octo milliaria ab mari diſtaſſe, in ſuperioribus dixerit. in quo Lavinium cum Lanuvio, ex nominis vicinitate, confudit; ut fuſe ſub initium noſtri de Lanuvinis libri nuper oſtendimus. Lavinium enim ſtadia demum quatuor & viginti, quæ tria conficiunt milliaria, a mari diſtaſſe, veteres auctores perhibent. Rurſum neque ſibi conſtat Servius, ſecumque ipſo pugnat; ait namque, *tria* Laurentum habuiſſe nomina, mox quatuor aſſignat. *Lavinum*, *Laurentum*, *Lauro-lavinium*, & *Lavinium*, atque ab Lavinia id oppidum, nunc *Lavinium*, nunc *Lauro-lavinium* nominatum, dicit. Albam quoque ab Aſcanio conditam, eamdem cum Albano, præſenti hujus nominis oppido, & Campaniam eamdem cum Latio, Servius idem, fuiſſe, & exiſtimavit & ſcripſit: eodem ſui ſæculi errore ductus; quod ita æquales ejus vulgo crederent, & tunc ea loca ita nominarent. Neque ullam vim pro Servii ſententia facit Cato, quem ille ſuis narrationibus interſeruit. Siquidem, Cato de

Lau-

Laurento locutus eſt. Servius autem, quod, oppidum Lauro-lavinium ſua ætate vocatum, idem cum Laurento fuiſſe, ſciret; Catonem de Lauro-lavinio locutum, aſſeruit: cum tamen, *Lauro-lavinii* vocabulum recentius multo Catonis ætate inventum, ſatis conſtet. Itaque Laurentum poſterioribus ſæculis Lauro-lavinium idcirco appellatum, dicimus, quod, diruto fere Lavinio oppido, Lavinates ad Laurentum urbem ſeſe receperint; & ex duobus populis unus effectus fuerit; oppidoque Laurento *Lauro-lavinii*, oppidanis vero *Laurentium-lavinatium* exinde cognomen inditum. Quemadmodum ex pluribus monumentis, lapidum præſertim effoſſorum inſcriptionibus, opportuno loco, fuſius confirmabitur. Noſtræque hujus ſententiæ, ſeu conjecturæ potius, hæc ſunt momenta atque argumenta. Primum, quod ab Scriptoribus aurei Latinæ Linguæ ſæculi nuſquam vocabulum *Lauro-lavinii* uſurpatum, reperiamus. Nam Catonis teſtimonia quæ Servius innuit, non ſunt ipſa Catonis verba, ſed Servii ad Lauro-lavinium Servianæ ætatis ea quæ de Laurento ſcripſerat Cato, trahentis; ut ex Cluverio ſignificavimus. Secundum argumentum eſt, quod Laurentum fuit urbs antiquior & celebrior, utpote quæ ipſi regioni dederit nomen, ut fuſe hactenus dictum eſt. Ad eam itaque utriuſque populi, conjunctionem factam probabilius, ob nominis celebritatem & antiquitatem, quibus ſectandis atque ſervandis homines naturæ inſtinctu ſemper ducti ſunt. Tertium quoque argumentum; quod Laurentum ad mare ſitum, opportunius multo commerciis, amœnius, atque ſalubrius valetudini fuerit Lavinio oppido, magis mediterraneo, & gravis aeris, & commerciis maritimis minus apto. Quartum; quod pluribus in lapidibus in quibus Laurentium-

la-

Lavinatum fit mentio, Laurenti urbis pariter vocabulum legimus. quod ex majori dignitate, & ob ſedem in ea utriuſque populi conſtitutam, factum, non inaniter autumamus. quintum denique noſtræ hujus conjecturæ argumentum eſſe poteſt, quod *Lauro-lavinium* dicatur ſemper, non vero *Lavinio-laurentum*: & *Laurentes-lavinates*, non vero *Lavinates-laurentes*. unde digniori loco ſemper Laurentum, & additione Lavinium nominata, ad Laurentum factam fuiſſe utriuſque populi mixtionem, probabiliter innuere videntur. Nunc ad Lavinii oppidi in agro Laurenti Conditorem conditique hiſtoricam narrationem accedamus.

Itaque, omiſſis quæ de erroribus Æneæ ejuſque ad Laurens littus appulſu Virgilius, Ovidius aliique poetarum, variis fabulis exornata, commenti ſunt; ex optimis Hiſtoricis, Dionyſio, Livio, Auctore Originis Gentis Romanæ, Strabone, ceteriſque, conſtans apud veteres obtinuit fama, Lavinium oppidum ab Ænea conditum, atque ita ex Lavinia uxore denominatum. Omnium diſtinctiſſime rem deſcripſit Dionyſius; *a* quam idcirco ejus verbis, in Latinum ſermonem converſis, ob oculos juvat apponere. *Per id tempus Trojani cum Ænea, poſt captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum littus; quod mari Tyrrheno adluitur; haud longe ab oſtio Tiberis. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro & quidquid petierant; oppidum condunt, non longe a mari, in quodam colle, nomine Lavinium. nec ita multo poſt, vetere adpellatione mutata, una cum Aboriginibus a regionis Rege Latini vocati ſunt. & relicto Lavinio, ſimul cum indigenis, majorem urbem muniverunt, quam Albam nominavere.* Eodem quoque libro, erroribus Æneæ narratis, ita de Lavinio ab eo condito diſſerit: *Acceperant* (Trojani Æ-

a *Lib.* 1.

neæ ſocii) *quoddam oraculi reſponſum, quo jubebantur in Occidentales regiones navigare, donec eo locorum pervenirent, ubi menſas comederent: quod ſimulatque factum animadvertiſſent,* (comederant enim vix expoſiti in ripa Tiberis, ut ait Virgilius, ſeu Numicii fluvii, ut ceteri auctores omnes, cruſta ſive liba quæ humi ad agreſtes cibos ſuſtentandos ſtraverant, vel apium, ad idem, dapibus inſtratum, ut alii memorant) *quadrupedis ductu, ubicumque feſſa procubuiſſet animans, ibi condere oppidum. Hujus oraculi tunc recordantes; alii Penates e navi in præmonſtratum locum, Æneæ juſſu, efferunt; alii ſcabella eis & aras adornant; mulieres ſacra cum cantu & choreis adferunt. At Æneas & comites, paratis omnibus ad ſacrificium, ſertis redimiti, circum altaria conſiſtunt. Interea dum hi vota faciunt; porca deſtinata ad victimam, gravida tunc, & partui propinqua, incipientibus ejus immolationem popis & ſacrificulis, proripit ſe, excuſſis vinculis, & mediterranea curſu petit. Senſit Æneas, hanc utique quadrupedem ducem deſignaſſe oraculum; eamque cum paucis, modico intervallo, ſubſequitur; veritus ne inſectationis ſtrepitu territam a via fatali averteret. Illa ferme XXIIII. ſtadia a mari digreſſa, in collem quemdam procurrit; ibique feſſa quievit.* Et poſt aliqua; *Poſtera die,* inquit, *ſuem XXX. porcellos eſſe enixam, dicunt: & poſt annos totidem, Trojanos aliam urbem condidiſſe, juxta oraculum. de qua ſuo loco dicemus. Æneas fœtum ſuis una cum matre dîs Penatibus immolat; ubi nunc eſt Caſa lignea, quam Lavinienſes ſacram habentes ceteris inacceſſam ſervant. juſſiſque Trojanis in collem movere caſtra, deorum ſimulacra in opportuniſſimo collis loco ſtatuit. Continuoque oppidum ædificare maxima celeritate adgreditur. excurrens in vicina circa loca, & conquirens quidquid ad urbis ædificationem uſus poſtularet; non ſine agreſtium indignatione, ferrum & ligna inſtrumentaque ruſtica auferens.* His Dionyſii narratio-

tionibus ceteri ſcriptores fere omnes conſentiunt. Diſſident tamen in iis quæ ſequuntur. Nam Dionyſius ait, Laurentis agri Aborigines excitatos, atque irritatos, ex violenta Trojanorum præda, quam, tum ad victum tum ad novi oppidi conſtructionem, agebant, rem ad Latinum gentis Regem detuliſſe; qui Phrygibus obviam cum exercitu armatus proceſſit. verum, audito, qui mortales eſſent, neque eas prædas laceſſendi, aut injuriam faciendi animo, illos agere; verum neceſſitate compulſos, & Fatis actos; pacem cum illis, nullo inito prælio, compoſuit: agrique partem, quam colerent, ſponte iiſdem largitus, Laviniam quoque filiam, oraculorum eam eſſe ſententiam interpretatus, Æneæ duci collocavit in matrimonium. De cujus nomine Æneas, oppidum quod inceperat ædificare, cum perfeciſſet, *Lavinium* nominavit. Virgilius tamen, & qui illum ſunt ſecuti auctores, haud profecto pacifice, Æneam inceptum oppidum perficere potuiſſe, memoriæ prodidere. verum acerrimo prælio ab Latinis ſive Aboriginibus Latini Regis ſubditis petitum; Turno Rutulorum Rege animos incendente quam maxime, ob pactam ſibi Laviniam, ne advenæ traderetur. Huic bello Italiam ferme univerſam in armis accurriſſe; Æneam quoque ab Evandro & Etruriæ parte auxiliaribus copiis auctum; tum demum uxorem Laviniam accepiſſe; ceptumque Lavinium oppidum perfeciſſe; cum Turnum ſingulari certamine victum obtruncaſſet. Quæ ſex poſteriorum Æneidos librorum nobiliſſimum ſunt argumentum; noſque nuper in noſtro de Ardeatibus libro, ubi de Turno, per ſumma capita recenſuimus. Dionyſii ſententiæ, utpote Hiſtorici, aliorumque plurimorum veterum ſcriptorum ſuffragium habentis, ſubſcribimus; remque ejuſdem *a* verbis per- *a Lib.* 1.

ſequimur. *Hæc itaque pacti*, inquit, *datis ultro citroque obſidibus, communibus opibus, expeditionem in Rutulos faciunt: brevique captis omnibus eorum oppidis, revertuntur ad ſemiperfectum Trojanorum oppidum; & pari id omnes alacritate muniunt. nomen ei Æneas indidit Lavinium; ut ipſi Romani perhibent, a Lavina Latini filia.* Auctor vero libri qui de Origine Gentis Romanæ inſcribitur, poſtquam ſimilia his quæ hactenus ex Dionyſio attulimus, ipſe etiam protulit; aliam nominis Lavinii oppidi cauſſam, ex Domitii teſtimonio, ſic adducit: *At vero Domitius, libro primo, docet, ſorte Apollinis Delphici monitum Æneam, ut Italiam peteret; ubi duo maria inveniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet, ibi urbem conderet. Itaque egreſſum in agrum Laurentem, quum paululum a littore proceſſiſſet, pervenisse ad duo ſtagna aquæ ſalſæ, vicina inter ſe; ibique cum ſe laviſſet, ac, refectus cibo, quum apium quoque, quod tunc vice menſæ ſubſtratum fuerat, conſumſiſſet: exiſtimantem procul dubio illa eſſe duo maria, quod in illis ſtagnis aquæ marinæ ſpecies eſſet; menſaſque, quæ erant ex ſtramine apii, comeſtas; urbem in eo loco condidiſſe; eamque, quod in ſtagno laverit, Lavinium cognominaſſe. tum deinde a Latino Rege Aboriginum data ei, quæ incoleret, jugera quingenta. At Cato in Origine Generis Romani ita docet: Suem triginta porculos peperiſſe in eo loco ubi nunc eſt Lavinium. quumque Æneas ibi urbem condere conſtituiſſet; propterque agri ſterilitatem metueret; per quietem ei viſa deorum Penatium ſimulacra, adhortantium ut perſeveraret in condenda urbe, quam cæperat. nam poſt annos totidem quot fœtus illius ſuis eſſent, Trojanos in loca fertilia, atque uberiorem agrum tranſmigraturos; & urbem clariſſimi nominis in Italia condituros.* Fuit etiam Græcorum quorumdam fabulatorum ſententia, Lavinium oppidum ab Lavina quidem, ſeu Lavinia, muliere nomen mutuaſſe; non ea tamen Latini Abori-

originum Regis filia, Æneæ uxore. Horum ſententiam ita Dionyſius: *Græci quidam fabularum ſcriptores tradunt ab Annii Deliorum Regis filia, & ipſa Lavina dicta:* (nomen Lavinio oppido ab Ænea inditum) *in cujus memoriam, morbo per id tempus exſtinctæ ibique ſepultæ, oppido vocabulum, ajunt, impoſitum. hanc Æneæ precibus impetratam a patre, navigationis comitem Trojanis fuiſſe, tradunt; quod ſapiens eſſet ac fatidica.* Quibus conſona ex Lutatio, Romano ſcriptore, Auctor libri qui eſt de Origine Gentis Romanæ, ſic memoravit: *Pervectumque* (Æneam) *ad Inſulam Delum: atque illinc ab eo Laviniam Annii ſacerdotis Apollinis filiam in matrimonium adſcitam, ex cujus nomine Lavinia littora adpellata.* De qua Lavinia vero, ſcilicet num Annii, num Latini filia locutus fuerit Solinus, *a* affirmare non auſim, dum ſcripſit: *Inter omnes perſpicue convenit, a nutrice Æneæ Cajeta Cajetam, ab uxore Lavinia Lavinium eſſe nuncupatum.* Porro Lavinium in colle ſitum tum ex iis quæ hactenus memoravimus, apparet; tum vero maxime ex verbis Scriptoris libri de Origine Gentis Romanæ, ajentis, Æneam caſtra ſub Lavinio collocaſſe. Fuiſſe idem oppidum ad fontes, & ſtagna Numicii fluminis, ex eodem auctore patet; dicente, Æneam caſtra ſub Lavinio collocaſſe, & copias in aciem produxiſſe circa Numicii fluminis ſtagnum. tribus autem milliariis a mari diſtaſſe, quot, commodum, Numicii fluminis fontes diſtant. Strabo *b* tamen hactenus narrata de Lavinii Conditore novis difficultatibus implicat. duo enim oppida, ab Ænea alterum, alterum vero ab Rege Latino, condita fuiſſe, innuit. & a Latino quidem Lavinium. Siquidem, *Ferunt*, inquit, *Æneam Laurentum adpuliſſe; atque in ora maritima ad XXIIII. circiter ſtadia ab mari oppidum condidiſſe. inde Latinum Aboriginum Regem ſuper-*

ve-

a *Solin. cap.* 8.

b *Lib.* 5.

veniſſe, Æneæque auxilio uſum adverſum finitimos Rutulos Ardeam incolentes. partaque victoria, urbem prope condidiſſe Lavinię filię cognominem. Verum hic Strabo, Trojam Novam, caſtrum ab Ænea ad Tiberis ripas excitatum, eo loci ubi primum e navi eſt egreſsus, ut opportune dicetur, cum Lavinio oppido confudit; cum utrumque Æneas pari ferme a mari diſtantia condiderit; Latinuſque Rex Lavinio condendo opes quidem, ac filiæ nomen, contulerit; a nemine tamen auctor illius fuiſſe tradatur.

Ceterum, Lavinium primum oppidum fuit in Latio conditum ſtirpis Romanæ, Varrone *a* teſte. Latinæ Gentis urbs mater & caput, Dionyſii *b* teſtimonio. Hinc Latium univerſum *Lavini regna* Virgilius *c* appellavit. Et Veneris templum habuit hæc urbs celeberrimum, ad quod ex univerſo Latio populi conveniebant, tamquam ad urbis principis templum, ceu tradit Strabo *d*, inquiens: *Lavinium habet commune omnibus Latinis fanum Veneris, cujus procuratio jam inde a majoribus ad Ardeates pertinet.* Huic urbi nomen *Lavinium* ſcriptores quamplurimi, *Lavinum* nonnulli fuiſſe, ex hactenus expoſitis, memorarunt. Cives autem *Lavinienſes*, *Laviniates*, *Lavinates*, & *Laviniatæ* nominati. De his nominibus ita Breviator Stephani: *Lavinium oppidum Italiæ ab Ænea conditum. Jubas in primo. ab Regis filia Lavinia. gentilitium inde eſt Laviniates. ſed & Laviniatæ dicuntur.* Poſtrema hac voce ſæpius eos nominavit Dionyſius *e*. A Plinio *f* vero, ſingulariter, *Laviniates Ilionenſes Lavinii* appellati videntur. ait namque Latii populos recenſens: *Forentani, Gabini, Interamnates, Succuſani; qui & Lirinates vocantur: Ilionenſes Lavinii, Norbani, Nomentani.* & Virgilius clariſſime agros Lavinienſes, non ſolum *Lavina littora*, ſed etiam *arva Lavinia* nominavit, libro quarto:

a *De L. L. lib.* 4.
b *Lib.* 5.
c *Æneid. lib.* 6. *v.* 84.
d *Lib.* 5.
e *Antiq. lib.* 1. 2. 3.
f *Lib.* 3. *cap.* 5.

Nec

Nec prolem Auſoniam, & Lavinia proſpicit arva. Eoſdem Lavinii oppidi cives aliquando etiam *Latinienſes* appellatos, credimus; eorumque urbem *Latinium* ſive *Latiniam* dictam. Ex eo nempe, quod ibi primum Aborigines Trojanique convenientes, *Latini* ab Latino Rege gens univerſa fuerint nominati: quodque *Latinorum* urbs mater, princeps, & caput antiquiſſime fuerat. Certe Plinius *a* in exciſorum Latinorum populorum enumeratione, etiam Latinienſes nominat, ſic *b*: *Foretii*, *Hortenſes*, *Latinienſes*, *Longulani*. & alibi, *Latinienſia* vina, ab his ſcilicet Latinienſibus expreſſa, commemorat. *Ab infero mari vina Latinienſia*, *Graviſcana*, *Statonienſia*. Quamvis enim, cum aliquibus, utrumque Plinii locum *Lavinienſes*, & *Lavinienſia* legere malueris; quid ad planiſſimum Ciceronis *c*, in quo omnes, *in agro Latinienſi*, & *Latinienſes*, legunt, dicere poteris? En illum. *Quare ne plura de re minime loquar dubia, adhibete animos; & mentes veſtras, non ſolum aures, ad haruſpicum voces admovete: quod in agro Latinienſi auditus eſt ſtrepitus cum fremitu. Mitto haruſpices; mitto illam veterem ab iis diis immortalibus, ut hominum fama eſt, Etruriæ datam diſciplinam. nos nonne haruſpices eſſe poſſumus? Exauditus in agro propinquo & ſuburbano eſt ſtrepitus quidam reconditus, & horribilis fremitus armorum.* Et ad Orationis calcem: *Cogitate genus ſonitus ejus quem Latinienſes nuntiarunt.* Neque vero hic *Latinium* ſive *Latiniam* oppidum, ultra Prænefte & Labicos comminiſcaris; quod aliquis, temere ille quidem, fecit. Agitur enim hic a Tullio de oppido & agro propinquo Romæ, immo & *ſuburbano*, qualem Lavinienſem certe, non tamen ultra Prænefinum diſtantem, commode uſurpaveris. Neque iterum dicas, Latinienſes Plinii eoſdem cum Lavinienſibus & Ilionenſibus Lavinii, eſſe omnino

a *Lib.* 3. *c.* 5.

b *Lib.* 14. *c.* 6.

c *In Orat. de Haruſpic. reſponſ.*

non

non posse ; eo quod frustra Plinius ter eosdem populos enumerasset: Latinienses quoque inter populos sua ætate excisos sine vestigiis recensuisse ; cum tamen Lavinienſium vestigia multa per idem tempus adhuc exstarent. Scilicet his objectis repono: Plinium loca quamplurima , turbate oppido atque confuse, nominasse. eadem quoque non semel repetivisse, ut in *Norba* & *Norbanis*, aliisque videre est. Cluverius etiam, apud Ciceronem, *in agro Lavinienſi* & *Lavinienſes nuntiarunt*, legendum putavit. De quo non multum pugnabo , dummodo maneat allatis testimoniis tum Plinium tum Ciceronem de Lavinii nostri populis esse locutos.

Jam vero, posterioribus sæculis, Romanaque jam collapsa Republica , ex utroque oppido , Laurento nempe atque Lavinio , unum , seu proprius , ex utriusque oppidi incolis unus populus coaluisse videtur: ab Lavinio jam pene exciso, ac devastato, Laurentum, ipsum quoque a populo valde destitutum, translatis incolis . quibus *Lauro-lavinates*, sive *Laurentes-lavinates* nomen ; oppido autem *Lauro-lavinium* fuerit tributum. Hæc nos lapides quamplurimi veteres, proximis duobus elapsis sæculis effossi, literis suis docuerunt. Scriptores quoque nonnulli, post Vespasiani imperium florentes, *Lauro-lavinii* nomen usurpavere. Quamquam vero Bellorum Civilium calamitosissimis temporibus contigisse id, ex his Lucani *a* versibus colligi posse videatur:

a *Pharsal. lib. 7.*

-- -- -- *Gabios, Vejosque, Coramque*
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque lares, Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta
Invitus, questusque Numam jussisse Senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monimentaque rerum

Pu-

Patria deſtituit. crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes.

poſteriorem multo nihilominus utriuſque populi conjunctionem fuiſſe cenſemus, cum Lauro-lavinii mentio ante Veſpaſiani tempora facta ab Latinis ſcriptoribus non legatur. Licet autem Lavinium, triginta tantum annis poſtquam conditum ab Ænea fuerat, ab filio ejus Aſcanio derelictum fuerit; majori meliorique civium parte ad novam urbem Albam Longam a ſe conditam traducta; nihilo tamen minus ſubſtitere Lavinii cives aliqui; ac præcipue deorum Penatium aliorumque Sacerdotes. neque eo tempore, oppidorum Laurenti ac Lavinii conjunctio facta eſt; neque *Lauro-lavinii* nomen ab Romanæ Reipublicæ ſcriptoribus uſurpatum. Quod etiam de vaſtatione horum oppidorum ab Samnitibus facta dicendum. jacuiſſe quidem vaſtata hæc oppida, & ferme vacua per multos annos; eorumdem tamen ſuperſtites paucos illos incolas in unum ante Veſpaſiani tempora non coaluiſſe.

Ceterum Frontinus, qui ſub Nerva ab aliquibus floruiſſe perhibetur (quamquam, juxta alios, non ille qui de Aquæductibus urbis Romæ Commentarium nobis reliquit) Frontinus, inquam, Romanorum Colonias recenſens de *Lauro-lavinio* ſic meminit: *Lauro-lavinium lege & conſecratione veteri manet. Ager ejus ab Imperatoribus Veſpaſiano, Trajano, & Hadriano in laciniis eſt adſignatus.* Et Servius Grammaticus in ſuis ad Virgilium Commentariis Lauro-lavinii ſæpius mentionem facit. Cujus nos ætatem & verba in ſuperioribus referentes, ſententiam tamen de hujus nominis atque conjunctionis origine ſatis rejecimus. Symmachus *a* quoque, Servio poſterior, in epiſtola ad Celſinum Titianum fratrem, nominavit Laurentes-lavi-

a *Ep.65. l.1.*

nates, sic: *Cæcilianum, virum honestum, Laurentium-lavinatium defensorem, susceptum commendat officium.* Aliique his vel æquales, vel certe minores, aut majores paulo, auctores, eadem præstitere. Lapidum vero inscriptorum his nominibus vis multo major. Innuere hic aliquos tantum sit satis; nam omnes quotquot colligere potuimus, infra opportunius afferemus. Itaque lapis Laude Pompeja, Insubrum urbe, exstans, hæc ex Cluverio *a* & Fabretto habet:

a *Cluv. Ital. Antiq. p.* 888. *Fabrett. Inscrip. c.* 10. *pag.* 675.

Q. MANILIVS. PHILVMENVS
SACERD. LAVR. LAVIN. SIGILLVM. CVM. ARA
HVIC. AREAE. SVPERPOSVIT. ET SCRIPTVR. EIVS. VETVSTATE. CORRVP. RENOVAVIT. VOTO. SVSCEPTO

Item lapis Fulginii, ex eodem Cluverio, prostans hæc:

FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA
PATRONO. ET. DECVRIONI. COLONIAE

Romæ alius:

LAVRENS LAVINAS

Arretii, urbe Etruriæ antiquissima:

AVGG. NN. LAVR. LAVIN
ORDO ARRETINORVM

Reliquos, infra, suis locis omnes inseremus; atque, ubi opus fuerit, illustrabimus. Nunc de Laurento locutos lapides hosce omnes, quod *Lauro-lavinium*, ex accessione Lavinienſium civium facta, fuit appellatum

tum, docet nos lapis alius; quem & a Cluverio & a Fabretto allatum, oculari nos recenſione ſic emendatum legimus in oppido *Patrica*, quod olim Lavinium perhibent fuiſſe, lapidem inquam ante ædes Principes exſtantem, Salutis anno MDCCXXXII. *a*

a *Fabret. c. 10. pag. 682.*

DIVO. ANTONINO. AVG
SENATVS. POPVLVSQVE. LAVRENS
QVOD PRIVILEGIA. EORVM. NON
MODO CVSTODIERIT. SED ETIAM
AMPLIAVERIT. CVRATORE
M. ANNIO SABINO LIBONE. C. V.
CVRANTIBVS. TI. IVLIO. NEPOTIANO.
ET P. AEMILIO. EGNATIANO. PRAET
II. Q. Q. LAVRENTIVM

Lapis quoque Tiberii Claudii, apud Gruterum *b*, quamvis ætate Cæſarum inſcriptus, *Laurentum* tantummodo, non *Lauro-lavinium*, nominat, his notis:

b *pag.* 391.

TI. CLAVDIO SPECLATORI
AVG. LIB
PROCVRATOR. FORMIS. FVNDIS
CAIETAE. PROCVRATOR
LAVRENTO. AD. HELEPHANTOS
CORNELIA. BELLICA. CONIVGI
B. M

Ex quibus, aliiſque inſcriptionibus, veriſimile multum eſſe videtur, quod Laurentum Lavinates, non autem Laurentes Lavinium, conceſſerint; idemque, ſub Romanis Imperatoribus, oppidum Laurentum, ac Lauro-lavinium fuerit. Quod ſi in foro oppidi *Patrica*, quod in ruinis, vel certe ſuburbiis, aut vicinia

Lavinii excitatum fuiſſe credimus, plures exſtant lapides, in quibus Laurentium-lavinatium mentio habetur; non tamen idcirco Laurentes cives Lavinium translatos; ſed Lavinates Laurentum conveniſſe, conſtanter dicendum eſt. Hos enim lapides in Laurentinis villis olim erectos, atque inde multa poſt ſæcula effoſſos, Laurento Lavinioque jamdiu exciſis, idcirco ad oppidum *Patrica* translatos & congregatos fuiſſe exiſtimamus, quod hic locus, utpote a mari remotior, ſecurior proinde, amœnior, atque ſalubrior, celebrari rurſus & coli cœperit. quod antiqui Laurenti & Lauro-lavinii ſedi non contigit. Ceterum, pro Lanuvio Lavinium ſæpe per errorem ab Scriptoribus deterioris ævi uſurpatum, quin etiam optimorum aurei ſæculi Auctorum ſcriptis a librariorum exſcribentium imperitia non ſemel inſertum, fuſe ſub initium noſtri *a* de Lanuvinis Libri ſatis oſtendimus. Quare loca eadem huc ad trutinam revocare, merito parcimus. Diſcrimina utriuſque oppidi, Lavinii ſcilicet & Lanuvii apertiſſima, quæ ibidem adſignavimus, ne palmari hoc errore utrumque, quaſi unum idemque, confundendi, decipiamur, præ oculis continuo in ejuſmodi legendis Auctoribus habenda ſunt. Quod ſi fiat, unuſquiſque per ſe optime, ubinam *Lanuvium*, ubi *Lavinium*, legi debeat, planiſſime decidere poterit.

a *Vulp. Vet. Lat. Lib. 8. c. 1.*

Inveſtigandum hic reſtat, quonam potiſſimum loco, inter Oſtia Tiberina atque Antium, ſitum olim fuerit Laurentum; quoque vocabulo locus idem per hæc tempora vocitetur. De quo non una fuit eruditorum Scriptorum opinio. Aliqui enim, quos refutat Cluverius, Laurentum oppidum, eo loco fuiſſe crediderunt, qui nunc in ea littorali plaga dicitur *S. Lorenzo*. Horum Cluverius idcirco ſententiam re-

rejicit, quia Laurentum, ex Plinio, fuit citra Numicium fluvium, ab Oſtiis Antium eunti. At locus hodie *S. Lorenzo* ultra eumdem amnem eſſe deprehenditur. Siquidem Numicius amnis eſt ille qui ab oppidulo *Patrica* in exiguum maris ſinum deſcendit. Holſtenius *a* tamen, Cluverii auctoritatem atque ratiocinium nihil moratus, locum *S. Lorenzo* nunc appellatum, ipſum Laurenti oppidi ſitum ac ſedem olim fuiſſe, confirmavit. Nominis credo ſimilitudine ductus, quamvis ipſe id in cauſsa eſſe, non expreſſerit, cur ita ſentiret; verum pro argumentis adduxerit, quod hic locus medio itinere ſitus eſt, inter Oſtiam & Antium; quod locus idem ab antiquo Lavinio ſex mille paſſus, ut itinerariæ Tabulæ deſignant, commodum, diſtet; denique quia Laurentina Via huc defert, & in maritimam ſeu littoralem incidit, quam veteres Scriptores juxta Laurentum commemorant.

a *Annotat. in Ital. Ant. Cluv. p. 172.*

At vero Raphael Fabrettus, *b* diligentiſſimus, ſi quis alius, Latii univerſi oculatus veſtigator, poſt Cluverium atque Holſtenium, ſuam de Laurenti ſitu ac ſede ſententiam proferre minime dubitavit. aitque, Laurentum oppidum olim fuiſſe circa locum qui nobis modo dicitur *Paterno*, & *Torre di Paterno*; quamvis hic ab Holſtenio villa Laurentina Plinii Junioris creditus ſit. cui Fabrettus, inſpectis omnibus, diverſum alium, ut dicemus, ſitum adſignat. Ex Fabretto, itaque, circa Paternum & Turrim Paterni Laurentum oppidum quondam fuit; idque ſuadent ingentia adhuc quæ ſuperſunt rudera, longo tractu, circa locum. non illa quidem privati alicujus viri ædificium, & in Laurentino privatæ villæ delicias habentis, ſed permagni oppidi ſpatium peramplum occupantia. ita ut Laurentum ipſiſſimum oppi-

b *Inſcript. cap. 10. pag. 752. & ſeq.*

pidum uti unquam optimum maximum fuerit, aperte satis ibi constitutum, significent. Præcipue cum Plinii Junioris villam Laurentinam, quam hic Holstenius fuisse contendit, utili magis, quam magnifica atque ampla structura ædificatam fuisse, Plinius *a* ipse tota illa epistola in qua eamdem minutatim describit, sæpius expresserit. En ejus verba: *Villa usibus capax, non sumtuosa tutela; cujus in prima parte atrium frugi, non tamen sordidum: deinde porticus in O literæ similitudinem circumactæ, quibus parvula, sed festiva area includitur.* pergitque cubicula, apsidas, angulos nominare, quos ab amœnitate fere semper, usu, atque prospectu, nunquam vero ab amplitudine aut magnificentia commendat. Jam vero Fabrettus ingentium ruderum adhuc superstitum, circa Paternum, aptæ admodum conjecturæ, pro Laurenti oppidi sede ibi constituta asserenda, prudens quoque aliud ratiocinium, ad idem confirmandum, adjecit. scilicet, Paternum locum, terminum esse Viæ Laurentinæ. Cum enim, inquit, vel ipso Holstenio teste, Laurentum oppidum terminus Viæ Laurentinæ fuerit; atque hæc Via, certo certius, per loca nunc *Decimo*, & tabernam vulgo *la Santola*, ad latus dexterum veteris Aquæductus, ad Paternum decurrat ac desinat; jam ipsum Paternum, sedem urbis Laurenti, ad quam hæc Via terminabatur, ipsissimam esse, aperte satis colligimus. Porro Fabrettus idem, in tumulo permodico, qui alto colle minor, planis erectior arvis esset, Laurentum conditum, asserit; quatuorque, plus minus, stadiis a mari recessisse; infraque Viam littoralem Severianam, mare inter atque oppidum, excurrisse. quæ omnia loco *Paterno* valde apte congruunt; illumque, præter cetera, a loco Laurentinæ Plinii villæ maxime discriminant. cum hanc

a *Ep.* 17. *lib.* 2.

Pli-

Plinius marinis fluctibus Auſtro impellente allutam, adeoque mari viciniſſimam, nobis deſcripſerit.

Lavinium autem in colle ubi nunc oppidulum *Civita Lavinia*, nominis affinitate decepti, quidam *a* collocavere. Perperam tamen, ut noſtro de Lanuvinis libro fuſe admodum, & plane oſtendimus. Quidam vero Lavinii ſedem oppidum nunc vulgo *Patrica* exſtitiſſe, meminere. ex eo ſcilicet, quod ad Numicium amnem Lavinium conditum ab Ænea fuiſſe, ſciamus; juxtaque oppidulum *Patrica*, rivulus hodieque defluat, quem nullum alium, quam Numicium illum fluvium eſſe, prudenter dicere quiſquam poſſit. Cluverius tamen, & poſt ipſum Holſtenius, dum antiquam Lavinii ſedem detegere ac deſignare diſtinctius conantur, in diverſas nonnihil abiere ſententias. Siquidem Cluverius eo loco Lavinium ſtatuit ubi nunc Fanum Sanctæ Petronellæ, vulgo *Santa Petronella* dicitur; eo quod ſub hoc loco rivulus, quem Numicium amnem credimus, ſcaturiat ac defluat. Holſtenius vero ſedem Lavinii oppidi, locum in colle ſitum, paſſus mille & quingentos ſupra recens oppidulum *Patrica*, qui hodie dicitur *Monte di Levano*, nominis, ut puto, ſimilitudine inductus, pronuntiavit; quamvis incolis hic locus, ubi Gabrielliæ Romanæ Gentis prædia, dicatur paſſim *Monte di Leva*, non autem *di Levano*. Fanum vero Divæ Petronellæ, templum antiquitus Annæ Perennæ fuiſſe. Quare, his Auctoribus, locis omnibus quæ hic deſcribimus, recentia cum antiquis collata nomina ſic conſtabunt: Laurento quidem nunc *Paterno*, ſive *Torre di Paterno*. Laurentinæ Plinii Junioris villæ vocabulum modo *Capo cotta*. Lavinio hodie nomen *Monte di Levano*. Luco Jovis Indigetis, ſive Patris Indigetis, Æneæ ſcilicet, qui veluti ἀντονομαϛικῶς, a Virgi-

a *Baudrand. Lexic. Geograph.*

gilio *Patris* nomine ſemper appellatur, quique Gentis Romanæ *Pater* eſt habitus, nomen hac ætate jam inde derivatum, & congruum *Patrica*. Denique Annæ Perennæ, ſive Perannæ templo nomen per hæc tempora *Divæ Petronellæ* factum eſt; profanis appellatione & cultu in Chriſtiana nomina & ritus, veteri piorum majorum noſtrorum more ac inſtituto, commutatis. Et hæc quidem omnia ex laudatorum Auctorum mente, non noſtra, dicta ſint; ſenſum enim noſtrum ſuper his ſingulis, alibi jam aperuimus, & aperiemus.

CAPUT SECUNDUM.

De Agro Laurenti, & Caſtro Troja Nova, in eo antiquiſſimis temporibus excitato.

AGRUM Laurentem, antiquiſſimis temporibus, longe lateque patuiſſe, eumdemque rerum omnium fertilem fuiſſe, veteribus ab ſcriptoribus accepimus. Quamvis enim fines Agri Laurentis conſtituerentur, communiter, inter Tiberim & Numicium amnes, Aricinos Albanoſque colles, & Mare; hos tamen ultra fines eumdem protenſum latius multo atque longius aliquando, legimus. Siquidem non modo urbes Laurentum, Lavinium, Lanuvium, & Novam Trojam, ſive Caſtra Trojana, hic ager olim gyro comprehendit; verum etiam Rutulos Ardeamque illorum principem urbem, ultra Numicium amnem, tamquam Agri Laurentis partem Statius *a* recenſuit; ubi ait: *Cedant Laurentia Turni jugera*. & Maro: *b*

Filius huic juxta Lauſus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

a *Silv. lib.* 1. *Carm.* 3.
b *Lib.* 7. *v.* 649.

Am-

Ampliorem iterum Laurentem Agrum Feſtus *a* fecit; namque in eo non modo Antium celeberrimam urbem, verum & Sturam ſive Aſturam fluvium, novem, ut minimum, mille paſſus ultra antiquum Antium collocavit, dum ſcripſit: *Stura flumen in Agro Laurenti eſt, quod quidam Aſturam vocant.* Denique omnium latiſſime Laurentis Agri fines Virgilius produxit; quippe qui eos latiores terminis ipſis Antiqui Latii videtur putaſſe. Nam Maricam, quæ ad Liris amnis oſtia, ſupra Fundos & Formias, in finibus Novi Latii colebatur celebri conſtructo templo, Laurentem nominavit his verſibus: *b*

a *De Verbor. ſignific.*

b *Lib. 7. v. 45.*

Rex arva Latinus & urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater.

Attentius tamen iſta conſideranti, poetam de finibus Agri Laurentis nihil conſtituiſſe, plane patebit. Statium quoque poetica licentia uſum, dum Turni jugera dixit *Laurentia*, ſat ſcimus. Ceterum, Feſtum, qui Sturam ſive Aſturam fluvium Agri Antiatis, ultra ipſum Antium, in Agro Laurenti poſuit, vel hallucinatum, vel Laurentem Agrum pro *Latino* uſurpaſſe, crediderim. Itaque fines Agri Laurentis conſtanter intra Tiberim & Numicium amnes, Albanos Aricinoſque colles & mare protenſos, atque adeo incluſos fuiſſe, rurſum aſſerimus. Quamvis aliis temporibus ſexto ab urbe Roma lapide finitus Ager Laurentium fuerit: ut Termino ibidem conſtructa ædes ſignificare videtur, apud Ovidium: *c*

c *Faſt. lib. 2.*

Eſt via quæ populum Laurentes ducit in agros,
Dardanio quondam regna petita duci.
Illic lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ab Urbe lapis.

In confiniis enim agrorum publicorum urbium, ædes Termino constitui solebant; & hic deus statutis sacrificiis placari, atque invocari, ut stabilis & æternus esset. Totum autem hoc agri spatium varie cultum antiquitus, traditur. Nam primo arvis abundavit. Sunt autem proprie *arva* sola illa quæ aratro vertuntur ad segetes producendas. De his Virgilius: *a*

a *Lib.* 8. *v.* 38.

Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis;

b *Silv. lib.* 4. *Carm.* 2.

& Statius: *b*

Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis.

Atque idem auctor alio nuper citato carmine: *Cedant Laurentia Turni jugera*. *Jugerum* enim spatium illud fuit apud veteres quod validum boum par intra unum diem aratro findere potuisset. Vineis etiam educandis, & optimo vino exprimendo aptum Agrum Laurentem, multa declarant. Illud præcipue antiquissimum quod Livii, Dionysii, Auctoris Originis Gentis Romanæ, aliorumque veterum testimonio narratur. Mezentium *c* nempe, Tyrrhenorum Regem, cum Lavinii arcem obsidione cinxisset, non antea illam soluturum Trojanis Latinisque edixisse, quam, inter cetera tributa, vindemiam quoque ejus anni sibi totam penderent quam ex Laurenti Agro collegissent. Quod iniquissime ferens Ascanius, sive Æneas, (prout alii rem aliter memorarunt) Jovi eamdem vindemiam vovit, seque omne id vinum ei libaturum sancte promisit, si auxilium ad Tyrannum Mezentium tollendum e medio suffecisset. Quod postquam, interfecto Mezentio ac Lauso quoque filio ejus, Trojano Regi feliciter succesferat; illius anni collectam ex Agro Laurente vindemiam Jovi libavit. idque sacrum in annos singulos perpetuum constituit, ut in Fano Veneris (alii aliter) aut Jovis, apud Laurentum sive Lavinium, vini amphoc *Vid. hujus Operis lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 52.

phoræ quædam in deorum honorem effunderentur. Rem ſcite Ovidius: *a*

Cur igitur Veneris feſtum Vinalia dicant,
Quæritis; & quare ſit Jovis iſta dies?

& paulo poſt: *b*

Hoſtica Tyrrheno vota eſt vindemia Regi:
Juppiter, e Latio palmite muſta feres.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis ſordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Jovi.
Dicta dies hinc eſt Vinalia. Juppiter illam
Vindicat; & feſtis gaudet ineſſe ſuis.

a *Lib.* 4. *Faſt. v.* 877.

b *Ibid. v.* 893.

Varro *c* autem, ſolemni ritu in Agro Laurenti celebratam fuiſſe vindemiam, prodidit de Vinalibus diſſerens. *Vinalia a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiæ primum a Sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiam nunc. nam Flamen Dialis auſpicatur vindemiam, &, ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit; inter cujus exta, cæſa & porrecta, Flamen prorſus vinum legit.* Et licet hic Varro Laurentem Agrum ſingulariter non nominaverit; ex facto tamen Æneæ vel Aſcanii, ſub Lavinii muros, contra Mezentium pugnantis, conſtat, ſolemni pompa vindemiam in Agro Laurenti potiſſimum, atque ante alios agros, ſolitam agitari. Neque huic agro, magnam partem ceteroquin humili ac littorali, paluſtri etiam atque ſtagnanti, defuere colles ac tumuli, quos Bacchus amat. in quibus uva colorem duceret, & vinum ſaporem conciperet. Certe Plinius *d* inter nobilia vina numeravit & *Latinienſia*, quæ eadem cum Lavinienſibus fuiſſe, ſupra monuimus. Et *Vinaciolam* uvam huic agro cum Sabino tantum communem Auctor idem

c *Lib.* 5. *L. L.*

d *Cap.* 1. *hujus libri.*

celebravit. quamvis illam a vitibus altas in ulmos impositis productam, tenuis atque aqueæ ferme substantiæ vinum emisisse, addiderit. Ficus etiam & moros ab Agro Laurente frequenter educatas, Plinius *a* Cæcilius, in villæ suæ Laurentinæ descriptione, commemorat; cum ceteroquin, ob paluſtre solum, ceteris fructibus ager idem malignus foret.

a *Plin. lib. 14. c. 3.*

Silvis quoque Laurentes campi frequentes olim fuere. Et antiquissimis quidem temporibus hæ Lauro satæ potissimum erant, unde regioni nomen. ex ilicibus alias consitas memoravit Virgilius *b*:

b *Lib. 8. v. 43.*

Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus.

& de silvis, in genere, hoc eodem agro satis *c*:

c *Lib. 7. v. 29.*

Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis & multa flavus arena,
In mare prorumpit. & post duos versus:
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Imperat, & lætus fluvio succedit opaco.

Nec tamen pinguia defuerunt prata, ubi crescentes herbas depascerent ovium greges. De his Juvenalis *d*:

d *Satyr. 1. v. 107.*

— — Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves.

Boum quoque, & equorum usibus Laurentia prata perquam apta commendavit Plinius *e* Junior in Laurentinæ villæ suæ descriptione. *Varia hinc atque inde facies. nam modo occurrentibus silvis via coarctatur; modo latissimis pratis diffunditur & patescit; multi greges ovium, multa ibi equorum boumque armenta: quæ montibus hieme depulsa, herbis & tempore verno nitescunt.* Ceterum maxime omnium Laurentis Agri paludes, ac paluſtria loca ipsis propinqua memorantur, quæ arundinibus, ulva, filice, juncis, paliuris, ceteroque stramine ejusmodi

e *Ep. 17. l. 2.*

modi denſabantur. in quibus ad eximiam magnitudinem apri creſcebant; non tamen optimi ſemper ſaporis, ob ſoli male ſanam pinguedinem. Virgilius: *a*

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea.

a *Lib.* 10. *v.* 707.

Horatius *b* autem Laurentibus Umbros apros præferens, cauſſam quoque prælationis adſignat:

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus eſt, ulvis & arundine pinguis.

b *Sat.* 4. *lib.* 2.

Martialis *c* vero Laurentium aprorum magnitudinem eximiam teſtatur; eoſque cum ipſo apro Calydonio, quem, inter præclara ſua facinora, ab ſe interfectum, Hercules numerabat, conferendos putavit:

Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Miſimus. Ætola de Calydone putes.

c *Lib.* 9. *Ep.* 49.

In his ipſis paludibus ranarum multitudinem (quemadmodum in Ulubrano agro Cicero jocabatur audiri) delituiſſe, Martialis *d* idem innuit; piſciculos quoque e concharum ſpecie minutiſſimos ac viliſſimos, quos ab acuta figura Latini vocabant *acos*; his verſibus:

An Laurentino turpes in littore ranas,
Et ſatius tenues ducere credis acos?

d *Lib.* 10. *Ep.* 37.

Alios quoque id generis marinos fructus, quos vocant, in Laurentino littore frequentes, ex alto jactatos conſediſſe, Scipionis & Lælii ſapientiſſimorum amicorum delicias, in ruſtico otio ludentium, meminit Tullius *e*, ex perſona Craſſi Oratoris: *Sæpe ex ſocero meo audivi, cum is diceret, ſocerum ſuum Lælium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari: eoſque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, quum rus ex Urbe, tamquam e vinculis, evolaviſſent. Non audeo dicere de talibus viris. ſed*

e *De Orator. lib.* 2.

ta-

tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos, & umbilicos, ad Cajetam & ad Laurentum, legere conſueſſe. Quod ipſum Valerius Maximus, tanquam notiſſimum, breviſſime ſic confirmavit: *Conſtat, Scipionem & Lælium Cajetæ & Laurenti vagas littoribus conchulas & umbilicos lectitaſſe.* Comitem quoque ſuum Lucilium, Satyrarum ſcriptorem percelebrem, eduxiſſe eoſdem, cumque eo nugatos, tradit Horatius *a*:

a *Sat. 1. lib. 2.*

Quin ubi ſe a vulgo & ſcena in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ & mitis ſapientia Læli;
Nugari cum illo (Lucilio)*; & diſcincti ludere, donec*
Decoqueretur olus, ſoliti.

Ceterum, plures fuiſſe has paludes in Agro Laurenti, Paterculus *b* ſignificavit; namque, *Sulpicium*, inquit, *adſequuti equites, in Laurentinis paludibus jugulavere.* Earum autem maxima non procul ab ipſis Laurenti oppidi mœnibus ſtagnaſſe videtur; juxta illud *c*:

b *Lib. 2.*

c *Æn. lib. 12. v. 745.*

Atque hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

Et ſane hic ager paluſtris magna ex parte in præſens quoque cernitur. Unde mirum, quod Servius Virgilii interpres, vaſtam eam paludem quam poeta commemorat, ſua ætate non apparuiſſe, ſcripſerit.

Via fuit in Agros Laurentes ab Roma tendens, ſectoque lapide inſtrata, quam ex Conſularibus ſive Militaribus unam antiquitus fuiſſe, accepimus. Quod Laurenti oppidi celebritatem, quondam, deſignat. Nonniſi enim ad celebriora Latii oppida ejuſmodi Viæ primis Reipublicæ Romanæ ſæculis ſternebantur. De Via Laurentina Ovidius *d*:

d *Faſt. l. 2.*

Eſt via quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanico regna petita duci.

Hanc ex Oſtienſi, paulo ultra ſecundum lapidem, lævorſum deflexiſſe, Holſtenius *e* tradidit; ac tranſiſſe

e *Annot. in Ital. Cluv. p. 173.*

per

per locum vulgo *Decimo* dictum; qui haud dubie olim decimus lapis fuit in ipsa Via Laurentina; ut ex intervallo nunc etiam apparet. Inde hanc mare versus procurrisse, inter loca nunc *Porcigliano*, quæ Porciliæ Gentis villa fuit, & *Capo Cotta*, quæ Plinii Junioris, ut aliquibus visum; juxta Silvæ Campum, *Campo Selva*; & recta Laurentum devenisse, nunc *Paterno* & *Torre di Paterno*, quemadmodum superiore capite ostendimus. Eamdem in Ardeatinam quoque incidisse, nostro de Ardeatibus libro significavimus; ejusdemque, quotquot invenire potuimus, vetera monumenta ibidem congessimus. Neque illa hic, supervacuo labore, repetemus. Illud tantum hic ex Valerio *a* Maximo addendum: *P. Servilius Consularis Censorius, triumphalis, qui majorum suorum titulis Isaurici cognomen adjecit, cum forum præteriens testes in reum dari vidisset, loco testis constitit; ac inter summam patronorum pariter & accusatorum admirationem sic orsus est: Hunc ego, judices, qui caussam dicit, cujas sit, aut quam vitam egerit, quamque merito vel injuria accusetur, ignoro. illud tantum scio, cum occurrisset mihi Laurentina Via iter facienti, admodum angusto loco, equo descendere noluisse. Quod an aliquid ad religionem vestram pertineat, ipsi æstimabitis: ego id supprimendum non putavi. Judices reum vix auditis testibus damnaverunt.*

a *Lib.* 8. *c.* 5. *n.* 6.

Villis quoque Romanorum ornatissimis & amœnissimis Laurentium Ager frequens fuit; quibus per hiemem præcipue veteres utebantur. De illis, ac Laurentini soli, vicinique maris amœnitate ac natura, sic Plinius *b* Junior: *Littus ornant varietate gratissima, nunc continua, nunc intermissa, tecta villarum, quæ præstant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso littore utare. quod nonnumquam tranquillitas mollit; sæpius frequens & contrarius fluctus indurat. Mare non sane pretiosis piscibus*

b *Ep.* 17. *l.* 2.

ſcibus abundat; ſoleas tamen & ſquillas optimas ſuggerit. villa vero noſtra etiam mediterraneas copias præſtat; lac in primis; nam illuc e paſcuis pecora conveniunt, ſi quando aquam umbramque ſectantur. Quænam vero eæ aquæ forent ad quas ovium greges convenirent, ſic paulo ante ſignificaverat: *Hæc utilitas, hæc amœnitas deficitur aquæ ſalienti; ſed puteos, ac potius fontes, habet: ſunt enim in ſummo: & omnino littoris illius mira natura: quocumque loco moveris humum, obvius & paratus humor occurrit; iſque ſincerus, ac ne leviter quidem tanta maris vicinitate corruptus, aut ſalſus.* Laurentinarum villarum quæ ſuperfuere veſtigia peculiari narratione infra deſcribemus. Urbibus denique hic Ager fuit percelebris, Lanuvio, Lavinio, Laurento ipſo, & oppido ſive caſtro *Nova Troja*, ſeu, ſine addito, *Troja* nuncupato. Fluminibus claudebatur Tiberi, in Occidentem Solem ſpectantibus, Numicio in Orientem. De Numicio ejuſque fabulis mox referemus. De Tiberi, ſequenti de Oſtienſibus libro ſermo opportunus redibit. Lanuvium & Lanuvinos integro libro, qui hujus Operis octavus eſt, illuſtravimus. De Laurento, Lavinio, & Lauro-lavinio multa hactenus memoravimus; reliqua inſequentibus capitibus abſolvemus.

Nunc de Caſtro *Troja Nova*, antiquiſſimis temporibus, in Agro Laurenti conſtructo, dicendum. Fuit itaque, aut certe fuiſſe creditus vulgo eſt, antiquiſſimis temporibus, locus in Agro Laurenti, juxta Tiberis ripas, a mari diſtans ſtadia quatuor; ſcilicet paſſus quingentos; ab Ænea in Italiam adpulſo munitus, *Troja Nova*, ſive *Troja* tantum, vocatus. De hoc Livius, *a* de Antenore locutus, *Caſibus deinde variis*, inquit, *Antenorem cum multitudine Henetum veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum: Euganeiſque pulſis,*

a Lib. 1. ſub initium.

ſis, Henetos Trojanoſque eas tenuiſſe terras, & in quem primum egreſſi ſunt locum, Troja vocatur. Æneam, abſimili clade, domo profugum, primo in Macedoniam veniſſe: inde in Siciliam, quærentem ſedes, delatum: ab Sicilia, claſſe, Laurentem Agrum tenuiſſe. Troja & huic loco nomen eſt. Dionyſius vero & vallum jactum, & Caſtra excitata, & a mari novi Caſtri diſtantiam memoravit. Namque, *Tandem*, inquit, *ad Italiæ Laurentum perveniunt.* (Trojani) *ubi errorum fine invento, vallum excitarunt; & locus in quo Caſtra ſunt metati, Troja vocatur; diſtans a mari circa quatuor ſtadia.* Virgilius, hujus Novæ Trojæ exordia referens, veterum morem in novis excitandis urbibus venuſte deſcribit *a*:

a *Æneid. lib.* 7. *v.* 157.

-- *Ipſe* (Æneas) *humili deſignat mœnia foſſa,*
Moliturque locum, primaſque in littore ſedes,
Caſtrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

Ad quæ Servius, *Sciendum*, inquit, *Civitatem quam primo fecit, Trojam dictam; ſecundum Catonem & Livium; quod & ipſe docet: Non te Troja capit.* Caſtrum hoc, *Urbem* diſerte appellavit Maro *b*:

b *Æn. lib.* 9. *v.* 8.

Æneas, urbe & ſociis & claſſe relicta,
Sceptra Palatini ſedemque petivit Evandri.

Portas & mœnia urbis ejuſdem exinde nominat *c*:

c *Ibid. v.* 38.

-- -- *Ingenti clamore per omnes*
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent.

Quæ mœnia, ne forte lignea quædam munimenta, aut ipſum vallum, ſubitario opere ad tempus excitata putares, eadem *muros* appellavit, & turribus diſtincta in altum exſtructis, ſignificavit *d*:

d *Ibid. v.* 468.

Æneadæ duri murorum in parte ſiniſtra
Oppoſuere aciem; (nam dextera cingitur amni)
Ingenteſque tenent foſſas; & turribus altis
Stant mœſti.

En quomodo, perbrevi, humilis illa fossa, qua Virgilius idem Æneam designasse mœnia, nuper memorabat, in ingentes fossas incredibili celeritate excavata est.

Ceterum, hanc urbem, *Trojam* constanter poeta nominavit. Nam & ex Apollinis persona ad Ascanium: *Nec te Troja capit*. & ex persona Veneris ad Jovem: *Muris iterum imminet hostis Nascentis Trojæ*. & ex Junonis ad Venerem responso: *Indignum est Italos Trojam circumdare flammis Nascentem*. Et Pallas Evandri filius: *a*

a *Æn. lib.* 10. *v.* 377.

Ecce, maris magna claudit nos objice pontus:
Deest jam terra fugæ. pelagus Trojamne petemus?

Hinc Stephani Breviator: *Est etiam Troja apud Hadrianum agrum in Venetia*, & *item alia Latinorum*. Quia vero a mari hæc aliquantulum distasse fertur, & Ardea Rutulorum a mari distabat; idem auctor perperam addidit, Ardeam recensens: *Ardea oppidum Italiæ, auctore Strabone, libro V. hæc & Troja dicebatur, teste Charace*. Quem errorem, ex recentioribus scriptores nonnulli secuti sunt; cum tamen palmaris omnino sit ac perpinguis. Siquidem Troja Nova ad Tiberis ripas sita, in Agro Laurenti perhibetur; adeo ut ipso flumine pro mœnibus ab ea parte uteretur: Ardea vero, ultra Numicium amnem, Antium euntibus, ipsumque extra Laurentem Agrum. Troja distasse a mari stadia tantum quatuor dicitur: Ardea vero distabat, hodieque distat, stadia, minimum, vigintiquatuor. Denique, Conditorem Troja Æneam, Ardea Danacem, aut Ardeam Circes filium, aut certe alium quemlibet ab Ænea Conditorem profitebatur. Quare, nullus, rem quidem prorsus introspicientibus & considerantibus, prudens errori locus.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Villis, atque Sepulcris antiquitus in Agro Laurenti exſtructis.

LAURENTINUM Agrum ac maxime littoreum villis antiquitus frequentiſſimum, ad quas Veteres, veluti in hyberna, concedere ſolebant, ex Plinii Secundi Epiſtolis didiciſſe nos, nuper commemoravimus: nunc de illis, quæcumque ad noſtram hanc ætatem ſuperfuere, monumenta recenſenda. Plinii *a* de villarum frequentia in Agro Laurenti luculentum hoc teſtimonium: *Littus ornant varietate gratiſſima, nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant multarum urbium faciem; ſive ipſo mari, ſive ipſo littore utare.* Itaque L. Scipionis & Caji Lælii ſapientiſſimorum, celeberrimorumque, fama rerum geſtarum, virorum villam fuiſſe in Agro Laurenti, nos docet id quod in ſuperioribus commemoravimus; ſolitos nempe tantos viros, in Cajetano & Laurentino receſſu, curis vacuos, conchulas & umbilicos, juxta littus, legere. Tum vero Quinti Hortenſii celeberrimi illius Oratoris Ciceronis æmuli latifundia vaſtiſſima cum villarum deliciis in Laurentino fuiſſe, tradidit Varro, libro de Re Ruſtica tertio, capite tertiodecimo. Ait enim: *Apud Q. Hortenſium cum in Agro Laurenti eſſem, ibi iſtuc magis* τραγικῶς *fieri vidi. Nam ſilva erat (ut dicebat) ſupra quinquaginta jugerum maceria ſepta, quod non leporarium, ſed* θηριοτροφεῖον *appellabat. Ibi erat locus excelſus, ubi triclinio poſito cœnabamus. Quintus Orphea vocari juſſit. qui cum eo veniſſet cum ſtola & cithara, & cantare eſſet juſſus, buccinam inflavit. ubi tanta circumfluxit nos*

a *Ep.* 17. *l.* 2. *ſub fin.*

cervorum, aprorum, & ceterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi visum sit spectaculum, quam in Circo Maximo Ædilium sine Africanis bestiis cum fiunt venationes.

Deinde, C. Plinium Cæcilium Secundum Laurentinam villam delicatissimam habuisse, ejusdem elegans Epistola, quæ decima septima est libri secundi, abunde testificatur. Hæc enim tota est in Pliniani Laurentini explicatione, & commendatione ad amicum Gallum, cui inscribitur. Ego vero integram illam huc transcribendam, quamvis longiusculam, existimavi; quod melius Plinii villam Laurentinam, quam ipsius domini verbis, describere posse desperavi. Et digniſſima ceteroquin est epistola quæ omni ex parte legatur. Cum ex ejus descriptione, quonam potissimum villarum genere usi atque delectati sint Veteres, planissime constare possit; & tot magnificentissimorum ædificiorum ruinam unica narratio pensare, quodammodo, queat; dum ex Laurentinæ Plinii villæ pictura, ut ita dicam, quænam fuerit omnium, plus minusve, structura, moles & facies, addiscimus. En ipsa Epistola.

C. Plinius Gallo suo S.

„ MIraris cur me Laurentinum, vel (si ita mavis)
„ Laurens meum tantopere delectet. Desines mirari,
„ quum cognoveris gratiam villæ, opportunitatem
„ loci, littoris spatium. Decem & septem millibus
„ passuum ab Urbe secessit: ut peractis quæ agen-
„ da fuerint, salvo jam & composito die possis ibi
„ manere. Aditur non una via: nam & Laurentina
„ & Ostiensis eodem ferunt: sed Laurentina a quar-
„ todecimo lapide, Ostiensis ab undecimo relinquen-

„ da

„ da eſt. Utrinque excipit iter aliqua ex parte are-
„ noſum, jumentis paulo gravius & longius, equo
„ breve & molle. Varia hinc atque inde facies. nam
„ modo occurrentibus ſilvis via coarctatur, modo
„ latiſſimis pratis diffunditur & pateſcit. multi gre-
„ ges ovium, multa ibi equorum boumque armen-
„ ta: quæ montibus hyeme depulſa, herbis & tepo-
„ re verno niteſcunt. Villa uſibus capax, non ſum-
„ tuoſa tutela. cujus in prima parte atrium frugi,
„ nec tamen ſordidum: deinde porticus in *O* litteræ
„ ſimilitudinem circumactæ; quibus parvula, ſed fe-
„ ſtiva, area includitur. egregium hæ adverſum tem-
„ peſtates receptaculum; nam ſpecularibus, ac mul-
„ to magis imminentibus tectis muniuntur. Eſt con-
„ tra medias cavædium hilare, mox triclinium ſa-
„ tis pulchrum, quod in littus excurrit, ac ſi quando
„ Africo mare impulſum eſt, fractis jam & noviſ-
„ ſimis fluctibus leviter alluitur. Undique valvas aut
„ feneſtras non minores valvis habet; atque ita a
„ lateribus, & a fronte quaſi tria maria proſpectat.
„ a tergo cavædium, porticum, aream: porticum rur-
„ ſus, mox atrium, ſilvas & longinquos reſpicit mon-
„ tes. Hujus a læva, retractius paulo, cubiculum eſt
„ amplum: deinde aliud minus, quod altera fene-
„ ſtra admittit Orientem; Occidentem altera reti-
„ net. hæc & ſubjacens mare, longius quidem, ſed
„ ſecurius intuetur. Hujus cubiculi & triclinii illius
„ objectu includitur angulus, qui puriſſimum Solem
„ continet & accendit. Hoc hybernaculum, hoc e-
„ tiam gymnaſium meorum eſt. Ibi omnes ſilent
„ venti, exceptis qui nubilum inducunt, & ſere-
„ num antequam uſum loci eripiunt. Adnectitur
„ angulo cubiculum in apſida curvatum, quod am-
„ bitum Solis feneſtris omnibus ſequitur. Parieti

„ ejus

„ ejus in bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſt,
„ quod non legendos libros, ſed lectitandos capit.
„ Adhæret dormitorium membrum, tranſitu interja-
„ cente, qui ſuſpenſus & tabulatus conceptum vapo-
„ rem ſalubri temperamento huc illucque digerit
„ & miniſtrat. Reliqua pars lateris hujus ſervorum
„ libertorumque uſibus detinetur, pleriſque tam
„ mundis, ut accipere hoſpites poſſint. Ex alio late-
„ re cubiculum eſt politiſſimum, deinde vel cubi-
„ culum grande, vel modica cœnatio, quæ plurimo
„ Sole, plurimo mari lucet. Poſt hanc, cubiculum
„ cum procœtone, altitudine æſtivum, munimentis
„ hybernum. eſt enim ſubductum omnibus ventis.
„ huic cubiculo aliud, & procœton communi parie-
„ te junguntur. Inde balinei cella frigidaria ſpatioſa
„ & effuſa; cujus in contrariis parietibus duo bapti-
„ ſteria velut ejecta ſinuantur, abunde capacia, ſi
„ innare in proximo cogites. Adjacet unctuarium
„ hypocauſton: adjacet propnigeon balinei: mox duæ
„ cellæ magis elegantes, quam ſumtuoſæ. cohæret
„ calida piſcina mirifice; ex qua natantes mare aſpi-
„ ciunt. Nec procul ſphæriſterium, quod calidiſſimo
„ Soli, inclinato jam die, occurrit. Hinc turris erigi-
„ tur, ſub qua diætæ duæ; totidem in ipſa. præter-
„ ea cœnatio, quæ latiſſimum mare, longiſſimum
„ littus, amœniſſimas villas proſpicit. Eſt & alia tur-
„ ris: in hac cubiculum, in quo Sol naſcitur condi-
„ turque. lata poſt apotheca & horreum. ſub hoc,
„ triclinium, quod turbati maris nonniſi fragorem
„ & ſonum patitur, eumque jam languidum, ac de-
„ ſinentem: hortum & geſtationem videt qua hor-
„ tus includitur. geſtatio buxo aut rore marino,
„ ubi deficit buxus, ambitur. nam buxus qua par-
„ te defenditur tectis, abunde viret, aperto cælo a-

„ per-

„ pertoque vento, &, quamquam longiqua, aſperginе maris inareſcit. Adjacet geſtationi interiore circuitu vinea tenera & umbroſa, nudiſque etiam pedibus mollis & cedens. Hortum morus & ficus frequens veſtit: quarum arborum illa vel maxime ferax eſt terra, malignior ceteris. Hac non deteriore, quam maris, facie cœnatio remota a mari fruitur. Cingitur diætis duabus a tergo, quarum feneſtris ſubjacet veſtibulum villæ, & hortus alius, pinguis & ruſticus. Hinc cryptoporticus, prope publici operis inſtar, extenditur. utrinque feneſtræ, a mari plures, ab horto ſingulæ, & altius pauciores. hæ, quum ſerenus dies & immotus, omnes, quum hinc vel indè ventus inquietus, qua venti quieſcunt, ſine injuria patent. Ante cryptoporticum xyſtus violis odoratus. Teporem Solis infuſi repercuſſu cryptoporticus auget; quæ ut tenet Solem, ſic Aquilonem inhibet ſubmovetque: quantumque caloris ante, tantum retro frigoris. ſimiliter Africum ſiſtit: atque ita diverſiſſimos ventos, alium alio a latere, frangit & finit. Hæc jucunditas ejus hyeme minor; major æſtate; nam ante meridiem, xyſtum; poſt meridiem, geſtationes hortique proximam partem, umbra ſua temperat. quæ, ut dies crevit decrevitque, modo brevior, modo longior hac vel illac cadit. Ipſa vero cryptoporticus tunc maxime caret Sole, quum ardentiſſimus culmini ejus inſiſtit. Ad hoc patentibus feneſtris Favonios accipit tranſmittitque: nec unquam aere pigro & manente ingraveſcit. In capite xyſti deinceps cryptoporticus, horti diæta, eſt, amores mei; re vera amores; ipſe poſui. In hac heliocaminus quidem, alia xyſtum, alia mare, utraque Solem; cubiculum autem valvis, crypto-

„ por-

„ porticum feneſtra proſpicit. Qua mare contra pa-
„ rietem medium, diæta perquam eleganter rece-
„ dit: quæ ſpecularibus & velis obductis reductiſ-
„ ve, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. Le-
„ ctum & duas cathedras capit: a pedibus mare, a
„ tergo villæ, a capite ſilvæ: tot facies locorum to-
„ tidem feneſtris & diſtinguit & miſcet. Junctum
„ eſt cubiculum noctis & ſomni. non illud voces ſer-
„ vulorum, non maris murmur, non tempeſtatum
„ motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem
„ ſentit, niſi feneſtris apertis. Tam alti abditique
„ ſecreti illa ratio, quod interjacens andron parietem
„ cubiculi hortique diſtinguit, atque ita omnem ſo-
„ num media inanitate conſumit. Applicitum eſt cu-
„ biculo hypocauſton perexiguum, quod anguſta fe-
„ neſtra ſuppoſitum calorem, ut ratio exigit, aut ef-
„ fundit, aut retinet. Procœton inde & cubicu-
„ lum porrigitur in Solem: quem Orientem ſtatim
„ exceptum ultra meridiem, obliquum quidem, ſed
„ tamen ſervat. In hanc ego diætam quum me re-
„ cipio, abeſſe mihi etiam a villa mea videor, ma-
„ gnamque ejus voluptatem præcipue Saturnalibus
„ capio; quum reliqua pars tecti licentia dierum, fe-
„ ſtiſque clamoribus perſonat; nam nec ipſe meo-
„ rum luſibus, nec illi ſtudiis meis obſtrepunt. Hæc
„ utilitas, hæc amœnitas deficitur aqua ſalienti; ſed
„ puteos, ac potius fontes, habet. ſunt enim in ſum-
„ mo: & omnino littoris illius mira natura: quo-
„ cumque loco moveris humum, obvius & paratus
„ humor occurrit, iſque ſincerus, ac ne leviter qui-
„ dem, tanta maris vicinitate, ſalſus. Suggerunt af-
„ fatim ligna proximæ ſilvæ: ceteras copias Oſtien-
„ ſis Colonia miniſtrat. Frugi quidem homini ſuffi-
„ cit etiam vicus, quem una villa diſcernit: in hoc

ba-

„ balinea meritoria tria. Magna commoditas, ſi for-
„ te balineum domi vel ſubitus adventus, vel bre-
„ vior mora calefacere diſſuadeat. Littus ornant va-
„ rietate gratiſſima, nunc continua, nunc intermiſſa
„ tecta villarum, quæ præſtant multarum urbium fa-
„ ciem; ſive ipſo mari, ſive ipſo littore utare. quod
„ nonnumquam longa tranquillitas mollit, ſæpius fre-
„ quens & contrarius fluctus indurat. Mare non ſa-
„ ne pretioſis piſcibus abundat: ſoleas tamen & ſquil-
„ las optimas ſuggerit. Villa vero noſtra etiam me-
„ diterraneas copias præſtat; lac in primis. nam illuc
„ e paſcuis pecora conveniunt, ſi quando aquam um-
„ bramque ſectantur. Juſtiſne de cauſſis eum tibi vi-
„ deor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum? quem
„ tu nimis urbanus es, niſi concupiſcis. atque uti-
„ nam concupiſcas! ut tot tantiſque dotibus villulæ
„ noſtræ maxima commendatio ex tuo contubernio
„ accedat. Vale. „

Quantum vero Laurentinum hunc ſuum ſeceſſum frequentaverit Plinius, quantumque illo fuerit delectatus, aperuit ipſe Epiſtola ad Minutium Fundanum, quæ habetur primo Epiſtolarum Plinianarum, Epiſtola nona. Quam, bonæ frugis plenam, & loco opportunam, omittere nefas duxi.

C. Plinius Minutio Fundano ſuo S.

„ MIrum eſt quam ſingulis diebus in Urbe ratio aut
„ conſtet aut conſtare videatur, pluribus cunctiſque non
„ conſtet. Nam, ſi quem interroges, *Hodie quid egiſti?*
„ reſpondeat: *Officio togæ virilis interfui: ſponſalia aut nu-*
„ *ptias frequentavi: ille me ad ſignandum teſtamentum, ille*
„ *in advocationem, ille in conſilium rogavit*. Hæc quo die
„ feceris, neceſſaria; eadem, ſi quotidie feciſſe te re-

„ putes, inania videntur; multo magis cum ſeceſſeris. „ Tunc enim ſubit recordatio, quot dies quam frigidis „ rebus abſumſi! Quod evenit mihi poſtquam in Lau- „ rentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, aut etiam „ corpori vaco, cujus fulturis animus ſuſtinetur. Ni- „ hil audio quod audiſſe, nihil dico quod dixiſſe pœ- „ niteat. Nemo me apud quemquam ſiniſtris ſermo- „ nibus carpit; neminem ipſe reprehendo, niſi unum „ me, cum parum commode ſcribo: nulla ſpe, nul- „ lo timore ſollicitor; nullis rumoribus inquietor. „ Mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam „ ſinceramque vitam! O dulce otium honeſtumque, „ ac pene omni negotio pulchrius! o mare, o littus, „ verum ſecretumque μυσεῖον! quam multa invenitis, „ quam multa dictatis! Proinde tu quoque ſtrepitum „ iſtum inanemque diſcurſum, & multum ineptos la- „ bores, ut primum fuerit occaſio, relinque, teque „ ſtudiis, vel otio trade. Satius eſt enim, ut Attilius „ noſter eruditiſſime ſimul, & facetiſſime dixit, otio- „ ſum eſſe, quam nihil agere. Vale. „

Porro, cuinam potiſſimum Agri Laurentis loco reſpondeat hodie Laurentinæ Plinii villæ ſitus, inter eruditos Antiquitatis veſtigatores non ſatis convenit. Alii enim cum Holſtenio *a*, Laurentinam Plinii villam loco qui nunc dicitur *Paterno* & *Torre di Paterno*, conſtitutam aſſerunt; ubi multa vetuſtorum ædificiorum durant hactenus non obſcura veſtigia. Verum locorum ipſorum diligentiſſimus oculatiſſimuſque perſcrutator Raphael Fabrettus, falſum id, ſic evincit; quod Laurentinam Plinii villam, heri ipſius modo allato teſtimonio, ad mare ſitam fuiſſe ſciamus, tam proxime, ut ſi quando Africo mare impulſum eſſet, fractis jam & noviſſimis fluctibus leviter muri villæ alluerentur. At vero locus qui nunc dicitur

a *In not. ad Cluver. pag.* 174.

Pa-

Paterno, remotior multo a mari conſpicitur, habetque inter ſe & mare ipſum, Viam littoralem Severianam. Neque ad Holſtenii aſſerendam ſententiam, receſſiſſe tantum quantum modo apparet, a loco *Paterno* mare, poſt Plinii ævum, conſulto ſatis quis dixerit. Denique nec veterum ædificiorum rudera quæ in hanc uſque diem conſpicua remanent, privatæ tantum alicujus villæ, quamvis magnificentiſſimæ, reliquiæ eſſe videntur; verum urbis potius, ejuſque non vulgaris, aut modicæ; qualis certe Laurentum fuit. quod proinde hoc loco exſtructum, Fabrettus idem exiſtimavit. Alii *a* itaque Laurentinum Plinii eo loco ſitum commemorant, qui nunc vulgo *Piaſtra* nominatur, ſub via littorali ab Oſtia Laurentum, medio inter utrumque oppidum itinere. ibi enim Balineorum meritoriorum quæ villæ ſuæ proxima Plinius meminit, veſtigia deprehendiſſe ajunt. Alii denique, Plinii rus in via Laurentina, prope mare, loco qui nunc *Tenuta della Capo Cotta*, ædificatum fuiſſe, quovis pignore contendunt, poſt decimum ab Urbe lapidem, Via Oſtienſi. Atque huic ſententiæ Pyrrhus quoque Ligorius *b* oculatus inſpector eſt ſuffragatus.

a *MSS. Cardin. Corrad.*

b *v. Pliniano Laurentino.*

Porro omnium noviſſime Joannes Maria Lanciſius Medicus Pontificius, vir in Naturæ & Antiquitatis rebus detegendis multum ſolers, Diſſertationem ſcripſit atque edidit Romæ, Rep. Orb. anno MDCCXIV. cui titulus: *Animadverſiones in Plinianam Villam nuper in Laurentino detectam*. in qua Fabretti ſententiæ ſubſcripſit, & eam villam prope locum vulgo *Piaſtra* conſtructam, atque adeo detectam, confirmavit. Siquidem cum de hujus villæ ſitu ſermo incidiſſet, ante illum annum, in Laurentino ſive Oſtienſi, *la Spinerba*, Marcelli Sacchetti Equitis Hieroſolymitani, & ad Romanum Pontificem tunc Lega-

ti; Marcellus doctis viris adhibitis locum ipse vestigaverat & invenerat, ubi vestigia operis reticulati in ædificiis, alia quoque saxo quadrato. atque ex distantia ab Urbe, ab Ostia Colonia, a proximo vico, *Piastra*, ubi balineorum Plinio nominatorum rudera, ex tribus dirutis atriis, porticibus tribus, ac duabus turribus detectis, numero quoque cubiculorum, situ denique ac prospectibus & cæli plaga, omnia cum Laurentino Plinii convenientia plane detexit. pavimentorum adhuc & tectoriorum in parietibus visebantur reliquiæ, musivo ac tessellato opere, variisque Numidici & Alexandrini marmoris crustis distinctæ. Eorumdem quoque ruderum imaginem, cum fundamentorum vestigiis desumendam Marcellus idem curavit, quam apud Alexandrum Furiettum clarissimum in Romana Curia Præsidem ac Judicem Bonarumque Artium cultorem & fautorem egregium vidimus; verum non omnimode Plinianæ descriptioni respondentem. cujus alterum quoque exemplum apud Vaticanam Bibliothecam asservari perhibent. Ceterum locus olim ad mare ita ut Plinianum extremis fluctibus aliquando allueretur, nunc aggestione limi remotior ab undis factus est aliquanto; non adeo tamen ut locus alter *Paterno* appellatus. Unde Lancisiano huic congruere magis, quam alteri Laurentini Pliniani situs merito dici possit.

Jam vero Rus cum villa Gentis Porciliæ in ea hujus agri parte quæ nunc quoque vetustum retinet nomen *Porcigliano*, aut *Tenuta della Porcareccia*, & ipsum nomen antiquo affine, & vetus Lapis *a* in hæc verba inscriptus, ibique detectus, admonet:

a *Idem Lig. v. Porciliani.*

CE-

CERERI PORCILIANAE
M. PORCILIVS. M. F. POMPT. FACTVS EQ
ROM. EVOKATVS. AVG. N. D. D.
PRO SAL. PRAED. KAL. MART
C. VECTIO. ATTICO. ET C. ASINIO
PRAETEXTATO. COSS

In Faſtis Conſularibus hi Conſules recenſentur Urbis Conditæ nongenteſimo nonageſimoquinto; poſt Chriſtum Natum ſecundo ſupra ducenteſimum quadrageſimum, poſt Conſulatum primum M. Anton. Gordiani, ſic:

C. VETTIVS ATTICVS
C. ASINIVS PRAETEXTATVS

Ceres autem Porciliana nil aliud fuit, quam ſignum Cereris in ſacello ruſtico, apud Porciliæ Gentis rus, cultum; cujus in tutela Porcilianum prædium ab dominis traditum fuerat. Cæphionum pariter villam in Laurentino exſtitiſſe didicimus ex Macrobio *a* ajente: Cæphionem, qui in Auguſti necem fuerat animatus; poſtquam detecto ſcelere damnatus eſt; ſervum ad Tiberim in ciſta detuliſſe; pervectumque Hoſtiam, in Agrum Laurentem ad villam patris, nocturno itinere perduxiſſe. Cæcilii Oratoris aliam, cum celeberrimo gymnaſio, eodem in agro conſtructam, Ligorius *b* ex monumentis a ſe repertis notavit. Et Ræbuſianum, *c* ſcilicet Ræbuſii Liberti Claudii Cæſaris, prædium; ubi plures antiquæ cælaturæ ſtatuæ detectæ ſunt: Jovis, Neptuni, Nympharum marinarum delphinis inequitantium. Item Rus Lucii Aurelii Macaiſti, Liberti L. Aurelii Imperatoris, qui

a *Saturnal. lib. I. cap. II.*

b *v. Gymnaſium.*

c *v. Rabuſiano.*

qui Viæ Laurentinæ Severianæ curator dicitur in Lapide Ligoriano: *a*

a *v. Macaisto.*

L. AVRELIVS. AVG. LIB. MACAISTVS
IIII VIR VIARVM FECIT IN RVRIS
MACAISTIANI - - - - - - - - -

Cuſtodiam ſeu *Munimen*, ſupplendum videtur. Siquidem Macaiſti rus eam viam, atque adeo viæ partem, tangebat, quam Macaiſtus, & publico & privato bono proſpiciens, muniendam & reſtituendam curavit. Rurſum, quod Hirtius Panſa *b* nepos filiæ C. Vibii Panſæ Conſulis, Cæſarianus homo, & Cæſaris Quæſtor, villam habuerit in Laurentino, Ardeam inter atque Laurentum, Ligorius idem aſſeveravit. Lapis vero prope Laurentum in Via Laurentina erutus, fuiſſe ibidem Aruſii *c* Argypii villam, ſignificavit; in qua ſacellum fuit Cereris Argypiræ, villæ conſervatricis. quæ *Conſentia* quoque ſive *Conſens* dicebatur. eorum numinum unum quæ agricolæ *deos Conſentes* vocabant, & ad decem numerabant; ajentes, eos deos omnes, ut agricolatio feliciſſima proveniret, conſentire debuiſſe, & unanimi conſenſu annuere. Inſcriptio talis eſt:

b *v. Panſano.*

c *Ligor. v. Argypira.*

CERERI ARGYPIRAE
CONSEN. CONSER.
SACRVM
C. ARVSIVS C. LIBER. ARGYPIVS
- - - - - - VIR. LAVRO LAVIN. PRAET
- - - - - - - - FABR. - - - - - - - - - - MOR - - - - - -

Fuit etiam in Agro Laurenti ſepulcrum, juxta villam, de more, Gentis Chabiliæ *d* Laurentinæ Equeſtris.

d *Ligor. v. Chabilia.*

quod

quod ex fragmentis vetuſti Lapidis conſtitit; in quo Publius Chabilius Laurentinus Eques nominabatur. Et Familiæ Fabatiæ pariter Laurentinæ ſepulcrum cum prædio, in Via Ardentina Laurentina, ubi detectus Lapis cum notis *a*:

a v. Fabatiano.

L. FABATIVS. L. F. POMPTINA
LAVRENTINVS. FABATJ. AVTI. FILIVS

Juxta littus quod Lavinium reſpiciebat, prædium & ſepulcrum Aurelii Phæcuſii & ſuorum ſitum, vetuſti Lapidis inde effoſſi teſtimonio:

CERERI SACRVM
M. AVRELIVS. AVG. LIB.
PHAECVSIVS OPTIO
EXACTOR. AVRI. ARGENTI
AERIS. AVG. D. N
FECIT. PRO. PAR. III. COMM
CVM AVREL. MVCIAN
ET L. AVRELIO. CARO
PRO. VIAE. PRAED. FIN

Tres autem hujus prædii domini communiter fuiſſe videntur, qui tertiam ſinguli viæ partem, quæ commune prædium tangeret, reſtituendam ſuſceperint. M. autem Aurelius Phæcuſius ultimam, quæ viæ & prædio finem imponebat, ſtraviſſe. Jam vero circa eumdem locum ſepulcralis alter detectus Lapis ſic legebatur:

D. M.

D. M. SACRVM
P. AVRELIVS. P. L. PORPHYRIO. AVVNCVLVS
PRAEFECTVS. NAVIG. LAVRO LAVINAT
L. AVRELIVS. AVG. LIBER. EVTICHIANVS
COMMODIANVS. TIBICIN. P. AVRELJ. PORPHYRIONIS
FILIVS. PATER. M. AVRELII. SOTERICIANI. ET
AVRELIAE. DANOCTAE. ET. AVRELIAE. CALLIOPE
PRIMIGENIAE. ET Q. AVRELI FORTVNATI. FIL.
INFELICISSIMI. ET. AVRELIAE. HERMAE. MATR
INDVLGENTISSIMAE. H. S. IN. AGR
P. X. X. IN ALL. LAT. P. XXV

Alia quoque Dedicatio ſacelli & aræ in Agro Laurenti (incertum tamen cui numini) reſtituta legitur apud Fabrettum *a* his literis, corroſis fortaſſe ſitu prioribus, quas ſupra, eumdem Lapidem ex Cluverio, antiquiore recenſitore, adducentes, exhibuimus:

a *Inſcript. c.* 10. *pag.* 675.

PHILVMENVS. SACERD. LAVR. LAVIN
SIGILLVM. CVM. ARA
HVIC. AREAE. SVPERPOSVIT. ET SCRIPTVR. EIVS. VETVSTA
TE. CORRVP. RENOVAVIT. VOTO. SVSCEPTO

Porro Via Laurentina ſepulcrum fuiſſe tradit Gellius *b* ancillæ cujuſdam Auguſti Cæſaris, in quo ſcriptum erat; eam ancillam in Agro Laurenti pueros quinque ſimul peperiſſe, eoque puerperio eamdem periiſſe. Poſterioribus vero ſæculis Symmachus *c* Q. Aurelii Symmachi filius villam Lavinatem in Agro Laurenti habuit, de qua ipſe ſic ſcripſit ad Macedonium:

b *Noct. Attic. l.* 10. *c.*2.

c *Ep.*26. *l.*7.

Gaudeo te Agrum Lavinatem meum poſt Tiburtes delicias rogare: nec ſum religioſi deſiderii longus morator. Ea quippe inter amicos petitionum debet eſſe conditio, ut præſtantibus prona videantur quæ ſunt magna poſcentibus. Vale.

Idcirco autem Symmachus deſiderium Macedonii, divertendi in Agrum Lavinatem Symmachi, religioſum appellavit, quod Macedonius religionis fortaſſe cauſſa in eum agrum ſeſe conferre cupiebat; ad ſacrificia

ficia ſcilicet Lavinienſibus diis facienda. quam unice ob cauſſam veteres Romanos, Latinoſque ceteros Lavinium ſe contuliſſe ſæpius, ſatis conſtat. Dolendum proinde hæc profaniſſima ſacra ad Symmachi uſque ætatem, quarto ſcilicet Chriſti ſæculo, perduraſſe. Et Symmachus quidem ſuperſtitionis fautor addictiſſimus fuit, ut qui pro Ara Victoriæ reſtituenda in Curia ad Chriſtianum Imperatorem Orationem publice habere Conſul non dubitavit. Quem tamen doctiſſimis carminibus Q. Aurelius Prudentius, Chriſtianus Poeta egregius, abunde perſtrinxit, coercuit & refutavit: cuique acriter etiam Doctor ſanctiſſimus, ac Mediolanenſis fortiſſimus Antiſtes Ambroſius, præclaris Orationibus ad eumdem Imperatorem habitis, acerrime reſtitit.

In Agro quoque Laurenti, vel ipſa Laurentina Via, ſepulcrum fuiſſe Valerii Achillei Lictoris credimus, in cujus urna oblonga Romæ olim ad Cæſarinos proſtante ſic legebatur: *a*

a *Merul. Coſmogr. p. 2. l. 4. pag. mihi* 543.

M. VALERIVS
ACHILLEVS. LI
CTOR. PROXIMVS
LAVRENS-LAVINAS
AGENS. ANNVM AETA
TIS LXV. VIVVS. MIHI
COMPARAVI. ET. POSVI

Duplicis denique Aquæductus, haud ita brevi tractu, veſtigia elapſo ſæculo apparebant in Agro Laurenti; altera quidem ad oppidum *Patrica*, quod pluribus ſedes Lavinii fuit; altera circa Turrim vulgo *di Paterno*, quæ Laurenti ſedes iiſdem auctoribus habetur. Nunc tamen eorum vel ipſæ periere ruinæ, neque jam cer-

tam ullam intuentibus figuram exhibent. Quamquam ingens, quod iis locis antiquitus hæ Urbes fuerint, mature rem perpendentibus, argumentum esse possunt.

CAPUT QUARTUM.

De Laurentium Templis, & Religionibus.

MULTA fuisse apud Laurentes tum Lavinii, tum in ipsa Laurentina urbe, deorum antiquitus Templa, Religiones multæ quæ apud ipsos invaluerant, dubitare neminem sinunt. Siquidem Laurenti & Lavinii, non modo veteres dii Aboriginum & Pelasgorum, aliorumque antiquissimorum populorum colebantur, verum & alii permulti ab Ænea ex Phrygia in Latium traducti. Quos inter, primi omnium dii Penates. his enim, antequam ipsam urbem Lavinium Æneas conderet, aras & sacellum primum omnium constituit ; quæque illorum sacra curarent , sacerdotes mulieres decrevit : de quibus Dionysius *a*, Æneæ in Laurentina littora appulsum describens, sic memoravit: *Alii Penates e navi transferunt quo Æneæ placuit; alii subsellia sibi adornant & altaria: mulieres sacra cum ululatu & choreis adferunt : Æneas vero & socii coronati consistunt circum altaria.* & paulo post: *Jussisque Trojanis movere castra; deorum suorum effigies transfert in sacellum, constructum collis loco opportunissimo: continuoque oppidum ædificare magna omnium alacritate aggreditur.* Porro, quodnam dæmoniorum genus Penates fuerint, non una auctorum circumfertur sententia. Alii enim illos deos domesticos fuisse dixerunt; qui, cum in interiore domus parte colerentur,

a Lib. 1.

ita

ita dicti ſunt a nomine *penus*, quæ ſunt res neceſſariæ in intima domus parte ſervatæ; ut ab *optimus*, *magnus*, *optimas*, *magnas*, *optimates*, *magnates*, ita a *penus*, *penates*. quinam autem potiſſimum eſſent hi dii domeſtici atque interiores, rurſum diviſa ſententia. Jovem, Junonem, atque Minervam, nonnulli; Neptunum & Apollinem, quidam; Cælum & Terram, multi fuiſſe crediderunt. Arnobius in eo Opere *a* quod adverſus Gentes ſimulacrorum cultrices ſcripſit, Penates ab Etruſcis vocari ait deos *Conſentes* ſive *Complices*; quorum nomina ac numerum ignota ipſis cultoribus fuiſſe docet. At Dionyſius ex Timæo, caducea fuiſſe ærea & ferrea, ſcilicet baculos ſeu virgas aut ſceptra, Trojanamque terram fictilem. Horumque nomina apud Græcos permulta & varia. nunc enim πατρώους, *Patrios* ſive *Patrimos*; nunc γενεθλίους, *Nativos* ſeu *Naturales*; modo κτησίους, *Fundatores*; μυχίους modo, *Occultos*, *Intimos*; aliquando, demum, ἐγχίους, *Venientes* aut *Advenas* nominatos. Addit tamen, ſe templum Romæ vidiſſe, juxta viam quæ in Carinas, vicum Urbis lautiſſimum & celeberrimum, compendio ferebat, ſitum in loco obſcuro, propter circumjecta ædificia, qui Romanis vulgo *ſub olivis* dicebatur; in quo poſitas Trojanorum deorum imagines cuilibet fas erat inſpicere, cum inſcriptione *Denates*, quæ *Penates* ſignificabat; eo quod ante literam P. inventam, D. pro illa Priſci Latini uſurpaverint, Dionyſii ipſius teſtimonio. Ceterum hi Penates oculato huic teſti haſtati duo juvenes habitu ſedentium, admodum antiqui operis, deſcribuntur. Atque hæ in aliis quoque veterum templis quamplurimis deorum Penatium effigies repræſentari conſueverant. Idcirco aliqui, Penates, eoſdem ac Caſtoras ſive Caſtorem & Pollucem fuiſſe, crediderunt; perperam tamen. Hi *b* enim Helenæ fratres ex Jove ac

a *Lib. 3. ſub fin.*

b *Dionyſ. l. 1, Antiq. Rom.*

Leda perhibentur: Penates vero illis multo antiquiores. quos Dardanus e Samothracia, insula contra Thraciam, advexisse cum Palladio, dicitur, & Trojæ collocasse; unde Æneas eos in Italiam detulerit. Porro unde Penates acceperit Æneas, dubium id quoque. Num enim, ut est in fabulis, *a* Hectoris umbra e locis ubi servabantur, ipsi detulerit: num similes domi habuerit eorum statuas, quas Anchisæ patri commiserit: num cum Palladio a Diomede acceperit: num, denique, per incendii tumultum ingressus arcem, eos inde extulerit, ut ait Halicarnasseus; negare tamen videtur Virgilius; incertum est. Ceterum, deos Penates, Trojæ Patronos, atque Tutores, multa Trojanis, ac præcipue Æneæ ex incendio patriæ evasuro, & in Italiam Trojanam stirpem traducturo ac propagaturo, oracula multa edidisse, memorant. Namque post expugnatam Trojam, Æneam, ut fuga sibi consuleret; mox errantem ac incertum quibus potissimum in locis navigationi suæ finem imponeret, sedesque constabiliret, ut in Italiam vela faceret, monuisse, dii Penates crediti sunt. Quin etiam, postquam ad Laurentinum littus appulerat, prodigioque suis, in collem ubi Lavinium mox condidit, jam devenerat; illumque condendæ urbis locum fatis designatum cognoverat; mœrentem quod tam sterili infelicique, ut ipsi quidem tunc videbatur, terra, sedes figere adigeretur; monitum ferunt a diis Penatibus, conderet porro securus novam urbem eo loco; triginta enim tantum annorum post tempus, aliam ab Ascanio filio fatis condendam, uberiori multo ac feliciori in agro, quæque opibus & potentia florentissima futura esset. quemadmodum de Alba Longa factum est. Jam vero Lavinii, in sacello seu templo deorum Penatium & aliud vetustissimum re-

a *Virg. Æn. l. 2.*

li-

ligioſiſſimumque Laurentibus Latiniſque ceteris, atque adeo ipſis poſtmodum Romanis, monumentum ſervatum, accepimus; ſuem ſcilicet, quæ fuga ſua & partu omen Trojanis condendæ urbis data fuerat. Ecce ſuper hoc M. Terentii *a* Varronis teſtimonium ſatis vetuſtum: *Oppidum quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanæ, Lavinium: nam ibi dii Penates noſtri.* & de Re Ruſtica, *b* porcorum naturam ac fœtus deſcribens: *Parere*, ait, *tot oportet porcos, quot mammas habeat. ſi minus pariat, fructuariam idoneam non eſſe. ſi plures pariat, eſſe portentum. In quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quod ſus Æneæ, Lavinii, triginta porcos pepererit albos. Itaque quod portenderit, factum triginta annis, ut Lavinienſes condiderint oppidum Albam. Hujus ſuis, ac porcorum etiam nunc veſtigia apparent Lavinii: quod & ſimulacra eorum ahenea etiam nunc in publico poſita, & corpus matris ab ſacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur.* Eo autem loco aſſervatum id vult Dionyſius quo Æneas illam ſuem immolaverat; ubi, Auguſti ad uſque Cæſaris ætatem, Lavinii ſeptum erat ligneum, intra quod ſpatium incluſum Lavinienſes ſacrum exiſtimabant; & ideo ab ejus aditu exteros omnes arcebant. Sed illud potiſſimum de diis Penatibus Lavinii prodigium jactatum eſt; ſtabiles illos adeo in ſuis ſedibus permanere voluiſſe, ut quamquam ab Aſcanio in novæ urbis Albæ templum, magnificentius multo Lavinienſi ſacello, translati fuiſſent; ibique ſacerdotum plurimorum miniſterio colerentur; ſemel nihilominus atque iterum, Lavinium, ad antiquas ſedes redire voluiſſe, miraculo crediti ſunt. Rem ſic Dionyſius: *Dum Alba conderetur, accidiſſe ferunt mirum prodigium. nam, cum Penatibus quos Æneas a Troja devectos Lavinii collocaverat, templum exſtructum eſſet, cum adyto: & delubra Lavinio translata in intimum templum*

a *Lib.* 4. *L. L.*

b *Lib.* 2. *c.* 4.

re-

recondita; ſequenti nocte, clauſis ut maxime foribus, & inviolatis tecto ſimul atque parietibus, ſponte ſua ſimulacra in priſtinas baſes tranſiſſe reperta ſunt: denuoque Lavinio tranſportata cum votis & ſacrificiorum placaminibus, in eumdem locum rurſum reverſa ſunt. Dubitatum eſt diu quidnam facto opus eſſet; cum neque ſine diis patriis habitandum cenſerent, neque in ſemel relictas ſedes remigrandum. tandem placuit ſententia quæ & religioni deorum, & utilitati hominum ſatisfaceret. viſum enim eſt, ſimulacra ſuo loco ſinere, & viros qui ſacrorum curam gerant, ex Alba ad Lavinium habitandum reducere. Fuerunt hi ſexcenti numero, commigraruntque illo cum totis familiis, duce Ægeſto. Atque hi demum ſexcenti, ex iiſque prognati, Lavinii Cives, poſterioribus ſæculis, ferme unice, deſertam ceteroquin, eam urbem incoluere.

Aliud quoque vetuſtiſſimum ſacrorum Lavinienſium, ab Æneæ uſque Conditoris ætate, monumentum diutiſſime conſervatum Lavinii, Aquilæ, Vulpis, & Lupi imagines fuere. Fertur enim, dum Lavinium conderetur, oblatum Trojanis prodigium tale. In ne-
a *Dionyſ. l. 1.* more, *a* orto ſua ſponte incendio, Lupum ore aggeſſiſſe fomitem aridum; Aquilam vero alarum ventilatione flammam excitaſſe; Vulpem contra, cauda in flumen intincta ignem conatam exſtinguere: & nunc accendentibus, nunc exſtinguente, prævalentibus, tandem viciſſe duos; illam vero abiiſſe, conatu irrito. Quo viſo, Æneam dixiſſe, illuſtrem quidem & mirandam futuram eam Coloniam, ſed ſuis incrementis invidioſam & moleſtam exteris: fore tamen ut tandem vincat adverſarios, humanæ invidiæ prævalente favore numinum. Tam inſigne futuræ urbis fortunæ præſagium tunc accidiſſe dicitur: & ad Dionyſii uſque hæc narrantis ætatem exſtabant, rei monimenta, in foro Lavinienſium effigies æreæ ho-

rum

rum animalium, asservatæ longissimo tempore.

Fuit item Lavinii, sive intra mœnia, sive in Agro Laurenti, templum Veneris commune Latinis omnibus, cujus cura ad Ardeates spectabat, teste *a* Strabone. atque huc Prisci Latini convenire solebant, de rebus ad omnes Latii populos in commune pertinentibus consulturi, antequam in Monte Albano Latinis Feriis, vel ad Caput Aquæ Ferentinæ, sub eodem monte, congregarentur. Conveniebant autem in id fanum, quod sub tutela Veneris esse credebant, tamquam gentis eorum principis, juxta illud Ovidii de Venere: *b Hæc generis princeps*. Num autem duplex fuerit Veneri dedicatum templum Lavinii, alterum in Urbe, sub *Veneris Genitricis* vocabulo, alterum vero in Agro Laurenti, eo loco qui nunc vulgo dicitur *la Fossa*, incertum est. Æneas namque, *c* juxta Solinum, in Agro Laurenti, loco qui nunc *la Fossa*, Veneri Genitrici, quam *Aphroditem*, scilicet *spumeam*, vocarunt, simulacrum & templum dedicavit. ex quo deinde apud posteros *Aphrodisium* locus est appellatus. Parvum quoque portum ibidem ab Ænea munitum, Ligorius memoravit. cujus autem id dixerit auctoritate, mihi non constat. In hoc templo, aut certe altero Lavinii intra mœnia exstructo, eidemque Veneri Genitrici, aut Equestri, aut Salaciæ dicato, factum est id quod in *d* superioribus exposuimus, ab Ænea vel Ascanio; fusum scilicet in Veneris honorem quidquid vini eo anno vindemia Laurentis Agri detulerat, ex voto suscepto, si viciissent Trojani Latinique contra Mezentium Etruscorum Regem; illo jam obtruncato, & victoria parta. Consuetumque ex illo apud Laurentes & Lavinienses, quotannis, aliquot recentis vini amphoras, in eodem templo, Veneris numini in libationem effun-

a *Lib.* 5.

b *Fast. l.* 4.

c *Vid. cap.* 1. *Lib.* 4. *Veteris Latii; & c.* 9. *l.* 1.

d *Cap.* 1. *hujus Libri.*

fundere; eaque effuſione univerſi Latii vindemias veluti conſecrare. Unde Vinalibus Feſtis & Veneralibus initium factum.

Jam vero & Veſtæ Lavinii templum fuiſſe, & cultum antiquiſſimum viguiſſe, ſatis conſtat. Siquidem Veſtæ numen, nomen & cultum ab Albanis Romani, ab Lavinienſibus Albani, ab Trojanis denique Lavinienſes accepere. Quare Virgilius inter Romanorum deos patrios & indigetes, ſive proprios ac peculiares, Veſtam quoque annumeravit: *a*

a *Georg. l. 1. v. 498.*

Dî patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas.

Sunt qui referant, quotannis Romanorum Reges, Dictatores quoque, & præcipuos Magiſtratus Romanos, veluti Conſules ac Prætores, ſimul ac Magiſtratum inibant, Lavinium, in templo Veneris ad ſacrificandum, ex lege ſe contuliſſe. quod tamen de Veſtæ, non Veneris, templo dicendum eſt. Macrobius *b* enim *Eodem*, inquit, *nomine appellavit & Veſtam, quam de numero Penatium, aut certe comitem eorum, eſſe, manifeſtum eſt; adeo ut & Conſules, Prætores, ſeu Dictatores, cum adeunt Magiſtratum, Lavinii rem divinam faciant Penatibus pariter & Veſtæ.* Occaſione autem hujus ſacrificii accidit quod *c* Livius, Dionyſius, & Plutarchus de Tatii Sabinorum Regis nece commemorant. Cum enim hic Titus Tatius, inito fœdere cum Romulo, pacifice ſimul cum illo Romæ regnaret; Lavinium ad ſacrificia Veſtæ facienda, Romano & Albano more, ſe contulit. ubi, quod Lavinienſes a ſuis violatos, diſſimulata injuria, ultus non fuiſſet, ab his per inſidias ſublatus eſt. Quamquam autem Livius *d* de Numa loquens ſcripſerit: *Virgines Veſtæ legit: Alba oriundum ſacerdotium, & genti Conditoris haud alienum*; id tamen ſic plane eſt intelligendum, ut ab Albanis

b *Saturn. lib. 3. cap. 4.*

c *Liv. l. 1. Dionyſ. l. 1. Plutarch. in Romul.*

d *Libro 1.*

Nu-

Numa ad Romanos propagaverit; a Lavinienſibus tamen Albani idem ſacerdotium, tamquam Gentis Trojanæ proprium, acceperint. Quod diſerte Divus *a* Auguſtinus aſſeruit, dum inquit: *Sacra fatalia* (Veſtæ) *quæ jam tres in quibus fuerant, preſſerunt Civitates*; (Ilium, Lavinium, Albam) *cum ab illo incendio liberare non poſſent, Metellus Pontifex, ſuæ quodammodo ſalutis oblitus, irruens ac ſemiuſtulatus abripuit.* Porro in hoc Veſtæ Lavinati templo erat adytum, ubi dii magni Samothraces, Penates puta, & Palladium, aſſervabantur. Intus in ara ignis perpetuo ardens, Trojanorum more; cujus perpetuitas Virginibus curantibus demandata. Unde Virgilius *b* de Ænea, qui hæc ſacra detulit ad Laurentes:

a *Lib. 3. de Civ. Dei c. 18.*

b *Æneid. lib. 2. v. 296.*

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

& Lucanus: *c*

c *Lib. 9. v. 990.*

Dii cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lavinia ſedes
Servat & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aſpecta virorum
Pallas, in abſtruſo pignus memorabile templo.

Profecto de Veſtæ numine & cultu vetuſtiſſimi iidemque probatiſſimi Græci Latinique ſcriptores hæc narrant. Duplicem quidem Veſtam fuiſſe, utramque Græcis ἑστίαν *Eſtian* dictam; ex qua, ut ex *Henetis Veneti*, ita *Veſta* Latinum nomen prodierit. Altera ex his Demogorgonis filia, Cæli uxor, Saturni mater, fuiſſe perhibetur; quam aliis nominibus, *Opim, Terram, Tellurem, Cybelem, Berecyntiam, Rheam, Matrem Magnam, Matrem deorum, Matrem Ideam, Matrem Phrygiam*, appellavere. *Statam* etiam aliquando hanc deam vocatam, invenimus; & apud Feſtum *d* ajentem: *Statæ Matris ſimulacrum in Foro colebatur, poſtquam id Cœlius*

d *De Verbor. ſignific. lib. 17.*

ſtravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore. Magna pars populi in ſuos quiſque vicos retulerunt ejus deæ cultum. Ubi Scaliger & Dacerius de Veſta ſermonem eſſe putaverunt. Et in lapide Muſæi Kircheriani apud Romanum Societatis Jeſu Collegium, una cum aliis quamplurimis eruditæ antiquitatis vetuſtiſſimis exquiſitiſſimiſque monumentis, aſſervato; in quo, *Vulcano Quieto & Statæ Matri* dedicatio facta legitur. *Statam* vero veteres Veſtam dixere, quòd eadem ac Tellus, ſive Terra, eſſet. *Terra autem* a *in æternum ſtat.* Et, *b Stat vi terra ſua: vi ſtando Veſta vocatur.* unde legimus apud Tullium *c*: *Nam Veſtæ nomen a Græcis eſt. Ea eſt enim quæ ab illis ἑστία dicitur.* Nempe Terra & ipſa immobilis eſt, & ceteris cauſſa eſt στάσεως καὶ μονῆς, ideſt ſtatus atque manſionis. Jam vero altera Veſta, antiquis, neptis Veſtæ ſuperioris, filia Saturni ex Ope credita eſt. Duæ namque Opes nominatæ; quarum prima eadem atque Terra, Saturni mater; altera ejuſdem uxor, fuiſſe dicuntur. Secundam itaque hanc Veſtam, Ignem fuiſſe perhibent. quamquam Cicero & Ovidius promiſcua de duabus his Veſtis memorarunt. Vis Veſtæ ad focos & aras pertinere credebatur. unde & numen Veſtæ conſimile, facta dea eſt Fornax, a qua *Fornacalia d* feſta celebrantur apud Ovidium. Jam Dionyſius, Veſtam, ait, Terram eſſe; ei autem ignem dicatum; quia terra ex ſe ignem æthereum producit. Fingebatur Veſta perpetua virginitate gaviſa; quod ignis nihil ex ſe ſe generet. Quoniam vero virgo eſſet; nonniſi virgines in ſui miniſterio & cultu ſacerdotes admittebat; *Veſtales* dictas. Veſtam hoc ritu primi omnium Trojani coluere; quam in Italiam ad ſe allatam ab Ænea pari cultu Lavinienſes, deinde Albani, Romani denique ſervavere. Et

a *Gen. c.* 1.
b *Ov. Faſt. lib.* 6. *v.*299.
c *De Nat. Deor. lib.* 2.
d *Faſt.* 6.

qui-

quidem Iliam, Numitoris Albanorum Regum ultimi filiam, Veſtalem ab Amulio avunculo per invidiam & dolum factam in luco Albæ, templo Veſtæ proximo, cum aquatum ad ſacrificia deæ facienda, egreſſa fuiſſet; a Marte compreſſam, ex quo Romulum ac Remum gemellos, Romanæ urbis Conditores enixa eſt, univerſi Rerum Romanarum ſcriptores tradiderunt. Romæ, templum Veſtæ a Numa Rege conditum eo loci fuiſſe produnt aliqui ubi nunc quoque non obſcura rotundi vetuſti templi veſtigia viſuntur; in ſiniſtra Tiberis ripa, haud ita procul a Senatorio Ponte, contra Aram Maximam. Loco nomen *La Madonna del Sole*, aut *Santo Stefano delle Carrozze*. quæ ſententia maxime Horatii carminibus convenit, ajentis *a*:

a Od. 2. l. 1.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monimenta Regis,
Templaque Veſtæ:
Iliæ dum ſe nimium querenti
Jactat ultorem, vagus & ſiniſtra
Labitur ripa, Jove non probante, uxorius amnis.

Quamquam Donatus noſter eruditiſſimus templum Veſtæ & Veſtalium ſedem Romæ fuiſſe in antiquo Romano Foro, vicinam Caſtorum templo, validis probaverit argumentis: & ex Fulvio crediderit, Veſtæ templum eo loco fuiſſe ubi nunc Sacra Divæ Mariæ Liberatricis ædes eſt in Foro nunc Boario ad Palatini radices ſub Hortis Farneſiis. Et primæ ſententiæ auctores a præſenti Tiberis curſu deceptos putent ſcriptores & veſtigatores noviſſimi Romanarum antiquitatum. Donati hæc libro ſecundo, capite decimo ſeptimo diſſerentis ſententia ex Cicerone confirmari

poteſt. Siquidem templo Veſtæ conjunctus lucus fuit deæ ſacer, de quo Cicero *a*: *Non multo ante Urbem captam, exaudita vox eſt a luco Veſtæ qui a Palatii radice in Novam Viam devexus eſt*. Porro in templo Veſtæ purus ignis perpetuo ardens aſſervabatur; neque niſi a Veſtalibus, aut Pontifice Maximo videri debebat. & triſte admodum omen erat, ſi quando reductis oſtiis, publice apparuiſſet. ſed illud multo triſtiſſimum ſi, quacumque cauſſa, vel unico momento, exſtinctus eſſet. quod piaculum Veſtali cui talia curæ, non impune erat, ſicuti jam referemus. Stulta fuit hæc imitatio malorum dæmoniorum, Dei inſtar Optimi Maximi, coli a ſuis prophanis volentium. Siquidem ſacris ſuis Hebræis cultoribus Deus præceperat *b*: *Ignis in altari ſemper ardebit*. quare & mali genii, ſimiorum inſtar, Divinos cultus affectantes, perpetuum Veſtæ ignem exegerunt. Sunt qui dicant, in Veſtæ fano, præter illum ignem, & alia ſacra fuiſſe ſolis Veſtalibus cognita; ut Lavinii, deorum Penatium ac Palladis ſimulacra. Ceterum Ovidius *c*, nulla ibi aſſervari ſe didiciſſe tandem, communi prius errore deceptum, aperuit:

Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putavi:
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.
Ignis inexſtinctus templo celatur in illo.
Effigiem nullam Veſta nec ignis habent.

Quos verſus diligenter attendiſſent, oportebat, Scaliger & Dacerius; dum Statæ ſimulacra, Veſtæ ſimulacra fuiſſe explicaverunt. niſi tamen, Veſtam ſuo *Veſtæ* nomine nullum ſimulacrum habuiſſe, ſub Statæ vero nomine, non item, dixerimus. Veſtalia feſta, ſive ſacra, die nona Junii apud Romanos celebrata ſunt. Ea die Veſtales virgines Veſtæ ſacrificabant; & aſini floribus coronati per urbem circumducebantur;

mo-

a *De Divin. lib.* 1.

b *Levit. c.* 6. *v.* 12. *& alibi.*

c *Faſt. lib.* 6. *v.* 295.

molæ etiam ſertis & floribus ornabantur. Die vero ejuſdem menſis quintadecima, ſtercus ex æde Veſtæ in Tiberim deferebatur. At Kalendis Martiis Veſta ornabatur laureis novis. quæ omnia fuſe atque elegan-ter de more Ovidius in Faſtis perſequitur.

Jam vero Veſtales, ἑστιάδες Græcis, Veſtæ deæ ſacerdotes virgines fuere. huic numini dedicatæ in perpetui ignis miniſterio & cuſtodia. quod & lege ſancitum erat *a*: *Virgines Veſtales in urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum*. Quod, ad Imperii ſui perpetuitatem ſignificandam, ſuperbi ac ſuperſtitioſi Romani in augurium devolvebant. Romæ quidem hoc ſacerdotium ab Numa inſtitutum; verum Alba oriundum. Albæque ſtabile, etiam poſt eam urbem per Tullum Hoſtilium Romanum Regem exciſam. Unde & ipſa ſua ætate Juvenalis *b* ajebat: *Veſtam colit Alba minorem*. eo quod nempe multo majori pompa & cultu Veſta Romæ coleretur. Ceterum, Veſtalium ſacerdotium una cum Veſtæ ſacris, ab Aſcanio Albam ex Lavinio translatum, non dubitamus. Immo vero, cum Lavinium rediiſſe bis, miraculo, deos Penates, (in quibus Veſta) proditum ſit; & ibi relictos demum ab Aſcanio, ſexcentis eodem miſſis ſacerdotibus; hos inter & Veſtales virgines, quæ Lavinii deinceps degerent, interfuiſſe, pro certo credimus. Has virgines ſimiles Græcis *Canephoris* ſeu *Caniſtriferis* Dionyſius memorat; earumdemque cultus & ritus graphice admodum ac minute deſcribit. ait namque, eas initio quatuor fuiſſe; ad ſenarium deinde numerum auctas; quo numero ad extremum uſque Romanæ Reipublicæ tempus permanſere. Quatuor primis duas Tullus Hoſtilius traditur addidiſſe. Prima omnium quam Romæ Numa Rex legit, *Amata* nomen habuit. Unde Veſtalium antiquiſſimæ

a Cic. 2. de Legib.

b Sat. 4. v. 61.

ſem-

ſemper *Amatæ* hereditarium nomen impoſitum. Alii tamen primarum quatuor Veſtalium nomina hæc referunt: *Gegania, Berenia, Camilla, Tarpeja.* Huic ſacerdotio initiari non poterant, niſi quæ his conditionibus prædítæ forent. Primo, ut nobili vel certe ingenua ſtirpe eſſent, quod & apud Albanos, & apud Lavinienſes uſitatum, maximo gentis honori tribuebatur. Ad hæc; eligi Veſtalis non poterat cujus parentes ambo, vel alter, ſervitutem ſerviſſent, aut in negotiis ſordidis verſarentur: neque ejus filia qui domicilium intra Italiam non haberet. Patrimam quoque ac matrimam puellam eſſe opportebat; patrem ſcilicet atque matrem ſuperſtites habere. Atque hæc quidem quod ad Veſtalis genus ſpectabat. Corpore vero integerrimo atque perfecto exigebatur, quod nulla ſui parte mutilum, mancum, deforme, aut debile eſſet. Ætas neque infra ſextum, neque ſupra decimum annum. Neque cogi poterat ut Veſtalis eſſet quæ ſororem eodem ſacerdotio initiatam, aut filia ejus qui tres liberos haberet. item cujus pater, Augur, Decemvir ſacris faciundis, Flamen, Septemvir Epulonum, vel Salius eſſet; nec Regis ſacrorum filia, nec ſponſa Pontificis. Jus vero Veſtalium optandarum, ex Numæ inſtituto, primum penes ipſos Reges fuit. Ejectis deinde Regibus, illas Pontifex Maximus eligebat, hoc ritu: Manu prehenſam a parentibus, quorum erat in poteſtate; quaſi bello captam, ac veluti ab hoſtibus, abducebat, his uſus verbis: *Sacerdotem Veſtalem ſacra facere quæ juſſi pro Populo Romano Quiritibuſque, uti optima lege fiant, ita te, Amata, capio.* Porro lex Veſtalium virginum ſeveriſſima erat, ut puræ a nuptiis per integros triginta annos manerent; dum interim ſacra facerent, & reliquas Veſtæ cæremonias obirent. Ex hoc annorum

nume-

numero, decem primos in deæ myſteriis addiſcendis, alteros in ſacris faciundis, reliquos in novarum virginum quæ conſecrabantur, inſtitutione inſumebant. Expleto autem triginta annorum curriculo, religio nulla quin nuberent, impediebat; infulis prius ac ceteris ſacerdotii inſignibus depoſitis. Hoc tamen perpaucas feciſſe legimus, quibus vitæ finis minime optandus, aut felix obtigit. Quod reliquæ, tanquam ominoſum quid, ac triſte, devitarunt in poſterum; ad mortem uſque, virgines, apud deam permanentes. Sed neque multum nuptias optabant; cum magnis ſingularibuſque honoribus augerentur publice. Nam ſimul atque virgo capta, & in ædem Veſtæ deducta erat; illico ſine emancipatione aut capitis diminutione patriam poteſtatem exibat; & jus teſtamenti faciundi adipiſcebatur. Immunis quoque juramento fiebat. Magiſtratus, etiam ſupremi, illi occurſantes, via cedebant. Quod ſi in damnatos reos qui ad mortem ducerentur, Veſtalis incidiſſet, hi liberabantur ſupplicio. Ad ſummam, honoratiſſimum publice privatimque Veſtalium virginum ſacerdotium, tum Lavinii, tum Albæ, tum vero, maxime omnium, Romæ, diutiſſime fuit. Ceterum, & fidem numini datam violantium non imparia caſtarum honoribus ſupplicia fuerunt. In Veſtalium delicta quæſitores erant ipſi Pontifices, & ex legibus ſtatuti vindices. Eam autem quæ corpus ſtupro polluiſſet, lex antiqua primitus virgis cæſam necari, & prolem ejus, ſi quam edidiſſet, in fluvii profluentem projici, juſſit. Mox conſtitutum fuit, ut quæ ſtuprum paſſæ fuerant, fœdiſſimo & miſerabiliſſimo mortis genere punirentur. Vivas enim in lecto, non aliter quam ſi mortuæ, funebri pompa efferebant, deflentibus eas, & proſequentibus cognatis notiſque. De-

fere-

ferebantur autem ſic uſque ad Portam Collinam; ubi, intra mœnia, in cella ſubterranea ad id præparata, cum omnibus funereis ornamentis, ita vivæ defodiebantur. Nullum vero appoſitum monumentum, parentalia nulla, aut honos ullus ex funebribus quibus Manes veterum placari atque expiari credebantur, vitiatas Veſtales, vivas ſepultas ſequebatur. Paulo aliter hoc inceſtarum Veſtalium ſupplicium alii deſcribunt; ſcilicet: Si virgo Veſtalis inceſta convicta fuiſſet, efferebatur in ſandapila per medium forum, uſque ad Portam Collinam, ubi tumulus impudicarum, intra mœnia, fuit. Ibi parva caverna ſubterranea, ad quam per foramen ſcalis applicitis deſcendebatur. in ima ſtratus lectulus, & lucerna ardens, & panis, lac, oleum; ne fame interiret. huc delata Veſtalis ſolvebatur vinculis, capite tantum adhuc velato. Tum Pontifex, arcanis quibuſdam exſecratoriis verbis in ipſam pronuntiatis, terga vertebat; ſtatimque caverna uſque ad ſummum ingeſta humo complebatur; ita ut continuo miſera, intercluſo ſpiritu, ſuffocaretur. Dies qua ſic inceſta Veſtalis elata & defoſſa fuiſſet, atra & nefaſta erat. per eam, ſilentium, mœror, atque juſtitium publicum. De hoc ſupplicio, inter ceteros, Juvenalis: *a*

a *Sat.* 4. *v.* 10.

-- -- cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos.

Sed neque illis impune erat, ſi ſacer ignis qui in æde Veſtæ perpetuo ſervari ac cuſtodiri debebat, ipſarum negligentia, quomodocumque, foret exſtinctus. Cum enim ominoſum id, ac maxime triſte Romanis eſſet, in eam cujus culpa accidiſſet, ſeveriſſime animadvertebant. Itaque ſi fuiſſet ignis intus in æde Veſtæ reſtinctus; ſacerdos cui tum ignis ſervandi cura, per vices ſuas, obtigiſſet, flagris cædi acerri-

me

me a Pontifice jubebatur. Ignem vero exſtinctum nequaquam alio ex igne unde unde accepto reparari fas erat; verum, accenſa ad Solem flamma per fomites, purus atque cæleſtis extrudendus. Ita vel inter ipſas fœdiſſimas ſuperſtitionis impuriſſimæ cloacas & eluvies, ſpectatiſſima atque integerrima virtus Virginitas locum tenuit; & homines etiam inceſtiſſimi, quod caſta placent Superis, Veſtalium narrata inſtitutione ac exemplo, diffiteri minime potuerunt.

Hos præter deos, & hæc ſacra, intulit quoque in Italiam, ac Laurentum primo, Æneas morem mortuorum Manibus parentandi. quod ſacrificiis fiebat, accenſiſque focis, quotannis, majorum Genio; donis etiam collatis. Luculentum ſuper hoc Ovidii teſtimonium recitandum *a*:

a *Lib. 2. Faſt.*

Hunc morem Æneas, pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille patris Genio ſolemnia dona ferebat.
Hinc populi ritus edidicere pios.

Parentalium ritus Laurentibus, ac deinde Latinis ceteris ab Ænea traditos Ovidius pluribus explicat: quem proinde curioſiores harum rerum inveſtigatores adire oportet. De Jove Indigete, qui Æneas idem fuit, apud Laurentes templo culto, deque Annæ Perennæ numine infra copioſius dicendum erit.

Nunc, Trojanorum apud Laurentes diis eorumque templis expoſitis, de illis breviter qui antiquiſſimi in Latio erant, & primorum Latii cultorum, maximeque Laurentum proprii, breviter aliquid differendum. Itaque Faunus Laurentium deus eſt habitus; habuitque in finibus Agri Laurentis fanum celeberrimum, quod in Caſtrum ob populorum eo convenientium frequentiam excreverat; & ab uno ex vocabulis Fauni, quod *Inuus* fuit, *Caſtrum Inui* eſt appel-

latum. De illo nos peculiariter, quod in confinibus quoque Ardeatium ſitum foret, noſtro de Ardeatibus libro fuſe ſat egimus. *Divum Laurentem* Faunum Virgilius *a* expreſſe nominat:

a *Æn.* 12. *v.* 766. *& ſeqq.*

Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & votas ſuſpendere veſtes.

Sed & *Sterculium* ſive *Stercutium* aut *Sterculum*, agrorum ſtercorandorum inventorem, aris ab Laurentibus cultum & ſacrificiis, quorum ritus Romani poſtea accepere, auctores plurimi tradunt; ſcilicet Plinius, Macrobius, Lactantius, Tertullianus, Iſidorus, aliique. Hunc Fauni filium etiam *Picumnum* appellatum, reperimus. quamquam alii, Saturni eum fuiſſe credidere runt. *Latinum* quoque Regem, nominis auctorem, (ab eo enim Gens univerſa Latini appellati) Laurentes, dei inſtar, coluere. Suntque qui illum *Latialis Jovis* ſub nomine cultum, putent. *Picum* etiam Canentis maritum, de quo neque ſimplex neque brevis eſt fabula. Ajunt enim, hunc Latinorum Regem, Saturni filium, patrem Fauni, avum Latini, peritiſſimum auguriorum fuiſſe: Pomonam deam fructuum adamaſſe, at Circen ſpreviſſe; cujus veneficio in avem, picum, cognominem, mutatus fuerit. quod figmentum inde originem duxit, quia Picus auguriorum, uti ajebam, captandorum peritiſſimus, in illis captandis pico ave utebatur. quam intus in ædibus regiis aureæ inſidentem columnæ ſervabat; eaque poſcenti mirabilia reddebat oracula. Pici fabulam longiſſime Ovidius *b* perſequutus eſt. At vero Virgilius *c* ſic breviter:

b *Metamorph.* 12.
c *Æn.* 7. *v.* 187. *& ſeqq.*

Ipſe Quirinali lituo parvaque ſedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat

Picus

Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjunx
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas:
Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede ſedens Teucros ad ſeſe in tecta vocavit.

Ex quibus etiam habes quo habitu cultuve Pici numen a Laurentibus coleretur. Porro Ovidius *a*, Picum etiam in Circejo Promontorio æde ſacra cultum, ſic memoravit, ex Macarei, unius ex Ulyſſis ſociis, perſona:

a *Metamorph.* 14.

Hoc quoque cum multis, quod clam mihi rettulit una
Quattuor e famulis ad talia ſacra paratis.
Cum duce namque meo Circe dum ſola moratur;
Illa mihi niveo factum de marmore ſignum
Oſtendit juvenile, gerens in vertice Picum
Æde ſacra poſitum, multiſque inſigne coronis.
Quis foret, & quare ſacra coleretur in æde,
Cur hanc ferret avem, quærenti, & ſcire volenti,
Accipe, ait, Macareu: dominæque potentia quæ ſit
Hinc quoque diſce meæ. tu dictis adjice mentem.
Picus in Auſoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello ſtudioſus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat; licet ipſe decorem
Aſpicias, fictaque probes ab imagine veram.
Par animus formæ.

Pergitque totam de Pici in avem transformatione fabulam texere. Jam vero in eodem Laurentino templo, cum Pico ſimul & Janus, & Sabinus Pater, & Italus, & Saturnus, aliique ab origine Reges, tamquam Laurentium numina, eodem nuper allato Virgilii teſtimonio, colebantur. Sed & *Canens* Pici prima atque legitima conjux, fatidica, unde nomen traxerat, mariti ſibi prærepti mœrore tabeſcens, & inter nymphas Tiberinas allecta, veluti dea culta a Laurentibus

tibus fuisse videtur; loco apud Tiberim, quem de ejus nomine *Canens* appellaverunt. Ovidius *a*:

a *Metamorph.* 14.

Tabuit; inque leves paulatim evanuit auras.
Fama tamen signata loco est; quem rite Canentem,
Nomine de Nymphæ, veteres dixere Camœnæ.

Maricam etiam, quamvis ad Liris fluminis ostia, in Novo Latio, præcipue templo coleretur, a Laurentibus cultam existimamus; quod ipsa origine Laurens esset, & Latini Laurentium Regis mater, Faunique pariter Regis uxor. juxta illud *b*:

b *Æn.* 7. *v.* 47.

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica.

Liberalia, turpissima Libero Patri sacra, per matronas honestissimas integrum ipsum mensem agitata Lavinii, sunt *c* qui tradunt. Dubium autem num Lavinii, num Lanuvii ea fuerint habita. *Lavinii*, habet D. Augustinus libro septimo de Civitate Dei, capite vigesimo primo. *Lares* etiam dii, qui iidem & *Compitales*, ex Lara, sive Larunda, nympha Ardeatina, & Mercurio *d* geniti, Lavinii, tanquam hospitales, exculti. Hos aliqui cum Penatibus, de quibus jam actum est, solent confundere. Præterea Laurenti antiquissimum Junoni Kalendari templum dedicatum, quod prisci Laurentes singulorum mensium Kalendas Junoni, vetustissima religione, consecrassent. De quo Macrobius *e*: *Ut autem Idus omnes Jovi, ita omnes Kalendas Junoni tributas, & Varronis & Pontificalis affirmat auctoritas. quod etiam Laurentes patriis religionibus servant; qui & cognomen deæ ex cæremoniis addiderunt, Kalendarem Junonem vocantes. Sed & omnibus Kalendis a mense Martio ad Decembrem huic deæ Kalendarum die supplicant.* Sed Junium præcipue mensem quasi Junonium Laurentes Junoni dedicaverant; quod ait Ovidius *f*:

c *Anton. Volsc. in Comment. Propert. Eleg.* 8. *lib.* 4.

d *Ovid. Fast.* 2.

e *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 15.

f *Fast. lib.* 6.

Inspice quos habeat Nemoralis Aricia Fastos,
Et populus Laurens Lanuviumque meum.

Est

Eſt illic menſis Junonius.

Denique, ædes Apollinis, cujus in tutela, ſub *Phœbi* nomine, Laurentum fuit, ob Laurum inventam ab Latino Rege, dum urbem conderet, ſeu certe ampliaret. De illa Virgilius *a*:

a *Æn.* 7. *v.* 59.

Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multoſque metu ſervata per annos:
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus,
Laurenteſque ab ea nomen poſuiſſe colonis.

Ædi vicinum nemus Laureum; ſive lucus, Phœbo, cui laurus dilecta, ſacer. quem eumdem ac Laurentinæ ſilvæ partem fuiſſe crediderim. Intra hoc nemus Vitellium Imperatorem ſe ſe abdidiſſe, fulminum metu, tanquam ſecure inter eas arbores Phœbo ſacras, nec fulmine tangendas habitaturum, memoriæ prodidit *b* Herodianus. Quintili vero menſe Laurentes Apollinem præcipuis honoribus ac feſtis colebant; quod eo menſe ab Ænea Laurentinum littus primum appulſo, Apollini, antiquo Trojanorum patrono numini, ſacrificatum, conſtans ac vetus fama apud illos obtinuiſſet. Ædem *Amatæ* Latini Regis uxoris, & *Picæ*, quæ eadem fuit atque Pomona, & Canens, antiquitus Laurenti exſtitiſſe, nonnulli ſcripſere: de quibus tamen quæ proferam aut aſſeverem, comperta minime habeo. De Canente nihilominus, quod in Agro Laurenti, loco cognomine, culta fuerit, nuper conjecturam faciebam.

b *Lib.* 1.

De Marte quidem, quod templo, eoque conſpicuo ac magnifico, Laurenti atque etiam Lavinii, auctus fuerit, nullatenus dubitandum eſt. namque *c*

c *Faſt.* 3. Ovid.

Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis:
Arma feræ genti remque decuſque dabant.

Quæ autem Latio univerſo numina culta ſunt, ea præ-

præcipuo, & antiquiſſime omnium, in honore habita apud Laurentes Lavinienſeſque fuere: quando hi Latii univerſi principes & vetuſtiſſimi populi. Itaque quintum anni menſem Laurentes Marti conſecraverant. Ovidius ibidem:

Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer.
Atribus hunc primum turba forenſis habet.

Termino demum deo (quo diis Laurentibus terminum nos quoque recenſendis imponimus) Via Laurentina, quam in Ardeatinam atque viciſſim incidiſſe memoravimus, ædes ſacra fuit. Termini figura lapis quadratus oblongus. huic deſuper facies binæ averſæ Mercurii, aliquando quatuor, Jani idcirco quadrifrontis etiam vocati, inſculptæ. *Hermas* Græci nominabant. Templa rotunda, ut pleraque apud veteres, ſine tecto, aut ſaltem fornice completo, inſtar templi Παν θέου Romæ. quod ædificaturis Jovi Capitolino templum Romanis, in Capitolio, ſacella aræque deûm omnium loco ceſſiſſent, præter Terminum: unde perennitatem æternitatemque Romanæ urbis illi auſpicati ſunt. De Termino, Via Laurentina, ſacrificiis placato, Februario menſe, Ovidius: [a]

[a] *Faſt. lib. 2.*

Eſt via quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illic lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ab Urbe lapis.

Termini feſta dicta ſunt *Terminalia*, in quibus agna ruſtici faciebant. Horatius *b*:

[b] *Epod. Od. 2.*

Aut agna feſtis cæſa Terminalibus.

Pro lapideo termino ſtipes etiam aliquando in agris, deum Terminum repræſentabat; quem floribus circumdatis pagani venerabantur. Tibullus *c*:

[c] *Lib. 1. Eleg. 1.*

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Præ-

Præter hos deos, a Laurentibus, & Lavinienſibus, ſacello, ara, templo, ſigno cultos alios quamplurimos, non dubitamus; qui tamen gentibus etiam reliquis, nedum Latinis omnibus, communes erant. Ceterum, Lavinium, poſt Albam conditam, unice ob deorum vetuſtas religiones celebre manſit; cum præterea nec potentia, nec rebus bellicis exinde claruerit. Quod etiam Strabo *a* notavit; nam de Laurento & Lavinio eorumque agris ſcribens, *Loca ipſa*, inquit, *ſunt nobilitata Æneæ peregrinatione; & ſacrificiorum ritus ab illo uſque tempore traditos ſervari ajunt*. Cui Dionyſius conſona protulit; dum quamplurima Lavinii templa ab ejus inde urbis inſtitutione fundata, ad ſuam uſque ætatem, ſub Auguſto ſcilicet, ſancte ſemper conſervata ab ſuperſtitioſis Romanis fuiſſe, teſtatus eſt.

a *Lib.* 5.

Laurentinorum deorum Flamines in vetuſtis lapidibus, Laurenti effoſſis, ſignatos legimus, in hæc verba *b*:

b *Lig. v. Flamin. Laurentinal.*

I. O. M. S
D. AVRELIVS. Q. F. FRONTO. PAVLINVS
FLAMEN. LAVRENTINALIS. LAVINALIS. LVCVLARIS
PATRONVS. COLONIAE. LAVRO-LAV
QVINQVENN. II. D. D
IDIB. APRILIS. IMP. CAESARE
TIT. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. PIO. AVGVSTO. III. ET
M. AVRELIO. AELIO. CAESARE. COSS

Nempe Urbis Conditæ, juxta Conſulares Faſtos, DCCCLXXXXIII. A Chriſto Nato CXL. Et in altero ſic:

VE-

VESTAE
SACRVM
L. APPONIVS. L. F. PAL. NIGER
FLAMEN. LAVRENTINALIS. LAVR. LAVIN
ET. LVCVLARIS. LAVINAT
VOTVM. SOLVIT. LIBENS. MERITO

Illum autem Laurentinalem Flaminem vocatum, ajunt, qui interiorum deorum Laurenti, ſive Lavinii, aut tandem Lauro-lavinii curam gerebat, quales Penates & Palladium fuiſſe diximus. Lavinarem ſeu Lavinatem, qui aliorum deorum communium ſacra curabat. Lucularem demum, qui Lucorum Apollinis, Jovis Indigetis, & Annæ Perennæ ſacris præerat. Quæ ſacerdotia unus aliquando atque idem homo, per vicarios tamen, curabat. Laurentium Flaminum eorumque apicis hæc Servius meminit, in illud Virgilii *a*:

a *Æneid. lib. 8. v. 664.*

Lanigeroſque apices, & lapſa ancilia Cælo;

quod, cum Flamines ſacrificarent apud Lauro-lavinium, & eis exta aves de vicinis venientes locis abriperent; eminentia virgarum eas deterrere conabantur. quodque exinde conſuetudo permanſerat, ut Flamines apud Lauro-lavinium ſacrificantes ingentes & oblongas haberent virgas, non vero breves, ſicut in Urbe. has autem virgas in pileo ſinguli geſtabant infixas; in quarum apicibus lanæ aliqui flocci pendebant ac ventilabantur. Cum autem per æſtum pileos ſane ponderoſos ferre non poſſent, filo tantum ſeu vitta caput religare cœperunt; quia nudis penitus illos capitibus incedere nefas erat. Feſtis tamen diebus, utcumque urgeret æſtus, filo depoſito, pileum eos ſumere atque geſtare neceſſe fuit.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Numicio Flumine, & Luco Jovis Indigetis, atque Annæ Perennæ in Agro Laurenti.

SUPERIORE libro, *a* cum de Ardeatibus ageremus, deque aquis ac paludibus Agri Ardeatini, nonnulla de Numicio flumine attigimus, quod antiquitus Ardeates a Laurentibus disterminabat. Cetera omnia de hoc flumine monumenta in hunc locum proferenda rejecimus. & jure quidem; nam in Agro Laurenti fuit olim Numicius amnis, ejusdemque Agri terminus; & Æneæ, aliorumque fabulosorum nominum sacris percelebris. Itaque *Numicius*, sive *Numicus* (utrumque enim veteres Latini vocabulum usurpavere) fluvius fuit haud ita magnus, inter Laurentis & Ardeatini Agri fines decurrens, & pro utriusque termino antiquitus constitutus, ex lacu Nemo, sive Nemorensi, hodie *Lago di Nemi*, (ut quidem Pyrrho Ligorio locorum istorum sedulo investigatori placuit) originem ducens. Laurento hic propior, quam Ardeæ, fuit. Et quamvis Servius sua ætate illum interceptum, ob continuas libationes Vestæ factas ex ejus aquis, ex quibus tantum eidem numini libare fas erat, & exsiccatum fuisse memoraverit; Ligorius tamen, fluvium eumdem, defluentem adhuc, a se visum, & *Rivo di Nemi*, sive simpliciter *Rivo*, sua ætate ab accolis appellatum, testatus est. Ceterum, Servii narratio, præter allatum Ligorii testimonium, ipsa tantum rei natura inspecta, Cluverio visa est incredibilis; scilicet, quod fluvius ex vivo fonte aquas ducens, quemque ex Ovi-

a Vet. Lat. lib. 9. c. 5.

dio ſcimus perennem fluxiſſe, quantolibet aquæ hauſtu ad libamina Veſtæ facienda, ſiccari, intercipi, atque adeo deficere potuerit. Quod bene Cluverius de cauſſa defectionis miratur; cum ceteroquin, aliis de cauſſis, puta, terremotibus, vel inſolita pluviarum inopia, fontes majores multo quam fuit fons Numicii, vel exſiccari, vel certe deperdi, atque alio erumpere, aquarumque curſus dirigere, non ſemel contigerit. Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas! Situm Numicii fluminis Plinius ita deſcripſit: *Oſtia Colonia*; *Oppidum Laurentum*; *Lucus Jovis Indigetis*; *Amnis Numicius*; *Ardea*.

Itaque apud Numicium locus fuit quem *Jovis Indigetis Lucum* veteres appellavere. Hic templum Æneæ, tali ſub appellatione, conſtructum, & ſacro Luco auctum ab Aſcanio filio, exſtitiſſe memoratur. In eo ſepulcrum & corpus Æneæ ſervatum, nonnulli tradidere. quamquam alii monumentum tantummovo Æneæ ibidem fuiſſe, corpore ejuſdem inter cæleſtia numina translato ab Venere genitrice, fabulati ſunt. Neque poetis tantum hæc narratur fabula; hiſtorici quoque graviſſimi, Livius & Dionyſius præcipue, idem tradiderunt. Et ad poetas quidem quod attinet, Tibullus *a* elegantiſſime:

a *Lib. 2. Eleg. 5.*

Impiger Æneas, volitantis frater Amoris,
Troïa qui profugis ſacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes adſignat Jupiter agros:
Jam vocat errantes hoſpita terra Lares. &c.
Illic ſanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda deum cælo miſerit Indigetem.

Ovidius vero de Venere Æneæ matre loquens rem ſic deſcripſit *b*:

b *Metamorph. l. 14.*

Littus adit Laurens; ubi tectus arundine ſerpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.

Hunc

Hunc jubet Æneæ quæcumque obnoxia morti
Abluere. & poſt tres verſus.
Luſtratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambroſia cum dulci nectare miſta
Contigit os; fecitque deum. quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem; temploque ariſque recepit.

Hinc ingentia illa juſſa quibus Apollo apud Virgilium *a* urgebat Æneam ut vada ſacra Numici quæreret: a *Æneid. lib. 7. v. 241.*

— — juſſiſque ingentibus urguet Apollo,
Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada ſacra Numici.

ibi demum, ſcilicet, mortalitatem exuere hic heros debebat, & inter immortalia numina conſecrari; Numiciique undæ admirabilem vim tantum prodigii efficiendi habebant. Ceterum, in deorum concilio Æneæ divinitatem publice jam conſtitutam, ex fato, Juppiter Junonem allocutus ita ſignificavit *b*: b *Æneid. 12. v. 794.*

Indigetem Æneam ſcis ipſa, & ſcire fateris,
Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli.

Quas fabulas graviſſimi, ut ajebam, hiſtorici Livius & Dionyſius, aliique recenſere, atque adeo explicare, non ſunt dedignati. Et Livius quidem breviter *c*, c *Lib. 1.*
Secundum, inquit, *inde prælium Latinis, Æneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs eſt, quemcumque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicium flumen. Jovem Indigetem appellant.* Fuſius vero Dionyſius: *Pugnatum igitur eſt acriter haud procul Lavinio; multiſque utrinque deſideratis: nox tandem prælium diremit. Corpus Æneæ quæſitum; cum nunquam compareret, alii conjectabant, ipſum migraſſe ad deos, alii necatum in amne apud quem pugnatum erat.* Latini ſacellum tanquam heroi dicaverunt cum inſcriptione hujuſmodi: PATRIS DEI INDIGETIS QVI NVMICII AMNIS VNDAS TEMPERAT. Auctor etiam libri qui de Origi-

ne Gentis Romanæ inſcribitur, ex Calpurnii Piſonis monimentis fabulam hanc de Æneæ inter deos ad Numicium amnem translatione ſic retulit: *Tunc Æneam, quod copiis inferior erat, multis rebus quæ neceſſario tuendæ erant, in urbem comportatis, caſtra ſub Lavinio collocaſſe; præpoſitoque his filio Eurylcone; ipſum, electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxiſſe, circa Numici fluminis ſtagnum. Ubi, cum acerrime dimicaretur, ſubitis turbinibus infuſcato aere, repente cælo tantum imbrium effuſum, tonitrubus etiam conſecutis, flammarumque fulgoribus, ut omnium non modo oculi perſtringerentur, verum etiam mentes quoque confuſæ eſſent. quumque univerſos utriuſque partis dirimendi prælia cupiditas inceſſiſſet; nihilominus in illa tempeſtatis ſubitæ confuſione interceptum Æneam, nuſquam deinde comparuiſſe. Traditur autem, non prævifo, quod propinquus flumini eſſet, ripa depulſum forte in fluvium decidiſſe, atque ita prælium diremtum. Deinde poſt, apertis fugatiſque nubibus, quum ſerena facies effulſiſſet, creditum eſt, vivum eum cælo adſumtum. Idemque tamen poſt ab Aſcanio, & quibuſdam aliis viſus adfirmatur ſuper Numici ripam, eo habitu armiſque quibus in prælium proceſſerat. Quæ res immortalitatis ejus famam confirmavit. Itaque illi eo loco templum conſecratum: adpellarique placuit* PATREM INDIGETEM. Solinus *a*, tandem, tempora quoque, ut narrationi ſuæ pondus adderet, quibus hæc facta ſunt, diſtincte ſignare voluit, atque digerere, ſic: *Nec omiſſum ſit, Æneam, æſtate ab Ilio capto ſecunda, Italicis littoribus appulſum, ut Hemina tradit, ſociis non amplius ſexcentis, in Agro Laurenti poſuiſſe caſtra* &c. *tribuſque mox annis cum Latino regnat, ſocia poteſtate, quingentis jugeribus ab eo acceptis. quo defuncto, ſummam biennio adeptus, apud Numicum apparere deſiit. anno* VII. PATRIS INDIGETIS *ei nomen datum.* Porro quales dii Indigetes apud veteres fuerint, non

a *Cap.* 8.

una

una eruditorum virorum ſententia eſt. alii enim illos deos patrios cujuſque loci, aut proprios, etiamſi non patrios, fuiſſe dixerunt. De his Virgilius *a*:

Dî patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas.

a *Georgic.* 1. *v.* 497.

alii deos aſſumtos ex hominibus ad divinitatem, aut ſemideos, qui ex altero parente mortali, ex deorum immortalium cætu, altero geniti eſſent; ſuiſque præclare factis ac virtutibus, inter deos cooptari meruiſſent. De quibus Horatius *b*:

Romulus, & Liber pater, & cum Caſtore Pollux
Poſt ingentia facta, deorum in templa recepti.

b *Epiſt.* 1. *lib.* 2.

Originem namque vocis *Indiges*, ſive *Indigetes*, aliunde alii derivavere. quidam, quaſi *inde geniti*, atque adeo de patriis diis exponunt. alii, quaſi *inibi agentes*, ſive *degentes* in loco; atque ideo de loci cujuſque diis, qui patrocinio & numine præſentes clientibus ſuis adſint, interpretantur. nonnulli ab *indigito*, quod eſt *in ſacris invoco*, a quo verbo Pontificales libri *indigitamenta* vocati ſunt: eo quod, ſcilicet, hi dii maxime omnium *indigitarentur*, h. e. *invocarentur* in ſacris. Aliqui deos Indigetes eos appellari volunt qui tutelares ſint; at quorum nomina propria vulgare nefas fuerit. Alii tandem, nomen *Indigetis* commune diis omnibus veterum fuiſſe contendunt, quaſi a contrario ſic dictis, quod minime *indigerent*; ſive quod nullius omnino rei *indigerent*. Hæ ſententiæ unaquæque auctores ſuos & patronos habuere; ut apud Macrobium *c*, & Servium, ac Salmaſium videre eſt. Ego vero, Æneam deum Indigetem appellatum exiſtimo, tum quia ex dea & homine mortali genitus; tum quia, propter præclare facta, in deos aſſumtus; tum denique, quod Latinorum proprium ac tutelare numen haberetur. Itaque ad Numicii fluminis fontes, ſive ſtagna, ubi

c *Macrob. lib.* 1. *Somn. Scip.* *Serv. in* 12. *Æneid.*

mer-

merſus eſſe creditus eſt, & apparere deſiit inter mortales, conditum Æneæ ab Aſcanio ſacellum eſt; quod a poſteris in templum fuit ampliatum, & Luco ſacro ei numini, ſub *Jovis*, aut *Patris*, ſeu *Dei*, ſive tandem *Jovis dei patris Indigetis* appellatione, circumdatum: illis ſimili quos Maro ſæpe deſcripſit. Erant autem *Luci* ſilvulæ, ut plurimum; quamvis aliquando ingentes ac vaſtæ ſilvæ, ex arboribus ſemper virentibus, quas idcirco *perpetuas* dicebant, conſitæ; circa deorum templa, vel etiam heroum & clarorum virorum ſepulcra. Serebantur cupreſſu, lauro, myrto; ilice quoque nigra, aliiſque. Et myrtos quidem etiam tot poſt ſæcula, circa vetuſtiſſima ſepulcrorum rudera, in Appia Via, ceteriſque Conſularibus, pullulare vivaciſſimas nunc quoque cernimus. Dicti *Luci* a contrario, *quod minime lucerent*; immo ſua denſitate lucem fere omnem excluderent; illumque in homines introeuntes horrorem inducerent quem *ſacrum* appellavere; & quo reverentia erga deum, ſive Manes deos qui colebantur ibidem, in adeuntibus excitaretur. Profecto Lucus Jovis Indigetis ad Numicium amnem, ingens fuiſſe, & vaſtum aliquod ſpatium occupaſſe, merito dicendus eſt: ſiquidem Plinius, illum inter oppida & loca peculiari ſignificatione numeranda recenſendum exiſtimavit: quemadmodum & *Caſtrum Inui*, de quo fuſe in noſtro de Ardeatibus libro nuper diſſeruimus. Fuiſſe templum cum Luco Jovis Indigetis circa oppidulum *Patrica* modo appellatum, credimus; tum quia circa hoc oppidulum fontes ſunt & ſtagna Numici; tum quia nomen *Patrica* ab antiquo *Patris*, quo nomine Æneas in Agro Laurenti, ut hactenus enarravimus, conſecratus fuit, derivatum, non immerito conjectamur. Noſtræque conjecturæ pondus haud minimum addit Fabius Pictor anti-

tiquiſſimus Latinus Hiſtoricus, a Livio perſæpe commendatus, ex quo etiam plurima mutuaſſe eumdem Livium conſtat. Siquidem apud Fabium in Agro Laurenti PATRICA SAXA memorari ajunt. His adde Anaſtaſium, qui in vita Magni Silveſtri Romani Pontificis idem confirmare videtur his verbis: *Item ſub Civitate Laurentina poſſeſſio* PATRAS. ſcilicet ex Luco *Patris* facta eſt poſſeſſio, ſive villa *Patras*, & ex hac oppidulum *Patrica*. quamvis autem corruptius, aliquibus Romæ, ſolita apud Romanenſes *r* litteræ tranſpoſitione, hic pagus *Pratica* nominetur, quemadmodum ex *Capra* & *Capranica*, faciunt *Crapa* & *Crapanica*; plerique tamen *Patrica* eumdem appellant; ſcriptoreſque omnes unanimi conſenſum idipſum confirmant.

Aliud quoque numen Numicium amnem percelebrem olim fecit. Id fuit *Anna* quædam *Perenna*, Numicii nympha, de qua non brevis eſt fabula. Hanc apud Ovidium & Silium legere per ſe quiſque poterit, eleganter & pluribus explicatam. nos hic per ſumma capita referemus. Fuit itaque priſcis temporibus prope Numicium fluvium, juxta Lucum Jovis Indigetis, templum Annæ cuidam Numicii nymphæ dedicatum, veterum prius Latinorum religione, Romanorum etiam cultu poſtea celebratum. Hujus deæ quamquam incerta apud illos haberetur origo, plerique tamen eam Annam, Didonis Phœniſſæ ſororem, de qua tam multa fabulatus eſt Virgilius, fuiſſe exiſtimabant. Quæ cum in Carthaginis regno, Didone exſtincta, ab Jarba Maurorum Rege occupato, nullum jam locum, ab inſidiis quidem tutum, reliquum ſibi factum, ſenſiſſet; fuga propriæ ſaluti conſulendum rata, ad Battum Melitæ Regem devenerat. A quo benigne primum ſuſcepta hoſpitio,

cum

cum vix biennium in ea insula subsitisset, navigare iterum, aliasque securiores sedes sibi quærere coacta est. Siquidem Battus a Pygmalione Tyrio Annæ fratre bellum sibi indici, atque adeo importari vix audiverat; & Annam ipsam, unicam ejus belli caussam, dimittere continuo decrevit. Quare profuga mulier, dum ex Melita ad Italiam navigat, vi tempestatis jactata, ad Littus Laurens demum appulisse fertur. in quod vix exposita, navim qua illuc delata fuerat, a fluctibus absorberi, non sine benigni numinis præsenti tutela, propriis oculis aspexit. Ceterum, dum ignotum per littus vagatur, incerta quonam gressum dirigeret, Æneam forte obvium habuit cum Achate, vel Julo comite (prout aliter alii rem narrant) qui per idem littus spatiabatur. Fuerat autem Æneas paulo ante, rebus cum Latino Rege compositis, in partem regni receptus, & Laviniæ filiæ conjugio auctus. Anna ergo fædifrago Didonis sororis marito viso, exhorruit continuo tantum, ut præcipiti ab illo se se fuga proriperet; satius multo quamlibet irati maris procellam subire, quam in perfidi ducis manus iterum incidere, apud se statuens. Verum Æneæ sermonibus ab imputata sibi Didonis necis caussa se purgantis tandem delinita, ab eodem, regio, intra Lavinium oppidum, hospitio excipitur. Laviniæ tamen occulto odio, callidisque insidiis jam jam peritura Anna, per visum, ut sibi caveret in tempore, ab sorore Didone monita est. Dum enim Lavinia Æneæ conjux, Annam pellicis loco ab marito domum adductam, putat; illamque novis in dies muneribus ab eodem augeri & coli videt; pluribusque clam cumulari suspicatur; ipsam, per occultas insidias, de medio tollere jam decreverat. Quod ubi Anna ab Didonis sororis umbra, nocti

ctu ſibi apparente, reſcivit; ita ut erat, nocturna tantum in veſte, de ſtratis proſiliens, ſe ſe ex humili regiæ domus feneſtra in Latinos campos dejecit; conſiliique inops miſerabili fugæ tradidit: donec ad Numicii fluminis ripas accedens, ejuſdem aquis condita eſt. Numicius vero alveo acceptam, unam e ſuis nymphis effecit; ac proinde in deam fluminis tutelarem atque indigetem commutavit, ac conſecravit. Porro Anna *Perenna* dicta eſt quod *amne perenne* latuiſſet. Sic Ovidius *a*:

a *Faſt. lib. 3. v. 639.*

Nox erat: ante torum viſa eſt adſtare ſororis,
Squallenti Dido ſanguinolenta coma;
Et, Fuge, ne dubita, mœſtum fuge, dicere, tectum.
Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exſilit; & velox humili ſuper arva feneſtra
Se jacit. audacem fecerat ipſe timor.
Quaque metu rapitur, tunica velata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuiſſe Numicius undis
Creditur, & ſtagnis occuluiſſe ſuis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur. apparent ſigna notæque pedum.
Ventum erat ad ripas: inerant veſtigia ripis.
Suſtinuit tacitas conſcius amnis aquas:
Ipſa loqui viſa eſt, Placidi ſum nympha Numici:
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.

Quod autem juxta Lucum Jovis Indigetis, ad Numici ſtagna, templo coleretur hæc Anna, Silius *b* quoque teſtatur. Namque illam inducens ab Junone ad Annibalem contra Romanos conſilio juvandum miſſam, ut odium in Æneæ ſtirpem antiquiſſimum ipſa quoque exſaturare poſſet, ſic memorat:

b *Lib. 8.*

Namque hac accitam ſtagnis Laurentibus Annam
Adfatur voce.

Deinde Annæ ipſius ad Junonem reſponſa referens, habet:

Tum diva, Indigetis caſtis contermina Lucis,
Haud, inquit, tua jus nobis præcepta morari.

Sunt qui putent, ædem Annæ Perennæ haud ita procul ab Aricino Nemore conſtitutam fuiſſe, ſuamque ſententiam his Martialis *a* verſibus confirment:

a *Ep.* 64. *l.* 4.

Et quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum Nemus Perennæ.

Ajunt ſcilicet, Nemus Annæ Perennæ hic a poeta deſignari prope Aricinum Nemus, dum illud virgineo cruore gaudere dicit. In Aricino enim Dianæ Nemore, ad ipſum Dianæ Tauricæ, ſive Faſcelitis, aut Facelitis, templum, humanus cruor virginis ſacerdotis per manus, in ſacrificiis deæ, effundebatur. cujus defluentis vicina loca quadam veluti irrigatione gaudebant: inter quæ Nemus Annæ Perennæ a Martiale nominatur. Ego vero, ut duobus tam vicinis celebribus locis Anna coleretur, ſcilicet ad Numicii fluminis ripas, prope templum & Lucum Jovis Indigetis in Agro Laurenti, & juxta Aricinum Nemus, ut credam, adduci vix poſſum. Itaque aut Martialis ætate Diana ipſa Aricina nomine etiam *Annæ Perennæ* colebatur & vocabatur; recitatiſque verſibus poeta illud ipſum Dianæ Nemus humanis ſacris, per manus virginum ſacerdotum, imbutum, intellexit; ſiquidem incertiſſima de hac Anna, & multiplex, ut mox notabimus, fabula fuit atque fama: aut templum Perennæ ad Numicium amnem Martialis vocavit *pomiferum Nemus cruore virgineo*, Dianæ ſcilicet Aricinæ, *gaudens*, ex eo quod ex Janiculenſibus Julii Martialis amici ſui hortis, quorum amœnitatem ac proſpectus in ſuburbanos agros eo carmine deſcribebat, templum cum Luco Annæ

Per-

Perennæ proximius multo Aricino Nemori, ex tam longinquo loco prospectantibus, quam re ipsa foret, apparebat. Ceterum ex hoc testimonio, Nemus sive Lucum circa Perennæ templum consitum viruisse, colligi potest. Quamquam hoc Nemus poeta *pomiferum* nominaverit, præter sacrorum Lucorum morem, qui ex arbore minime vesca aut pomifera seri consueverant.

At Cluverius locum Martialis de Nemore Annæ Perennæ sive *Perannæ*, quod inter Anienis confluentem & Milvium pontem, prope Viam Flaminiam, & Urbi Romæ maxime proximum fuerit, interpretatus, sententiam suam his Ovidii *a* versibus confirmavit: a *Fast. lib.* 3. *v.* 523.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Haud procul a ripis, advena Tybri, tuis.

Ex versibus quoque ejusdem Martialis proxime recitatos sequentibus, sic:

Et quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum Nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno.
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum.
Cum sit tam prope Milvius, sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.

At pace tanti viri, quem ceteroquin ut plurimum sequi plane profiteor; mentio Flaminiæ, Salariæ, Tiberis, & Milvii pontis nihil omnino confert ad conjecturam probabilem efficiendam, quod in ea vicinia fuerit virgineo cruore gaudens Annæ pomiferum Nemus Perennæ. nam vox illa insequens *illic* non viciniam Nemoris Annæ Perennæ designat, sed Julii ju-

gera pauca Martialis; ubi, ex alto ſcilicet, Flaminiæ Salariæque vectator ſive geſtator patebat, eſſedo tacente. erant enim ea jugera tam propinquo ac edito loco, ut eſſedis vecti viatores viderentur quidem; at tanto intervallo ab viis Flaminia & Salaria, ceteriſque locis quæ ibi poeta commemorat, erant eadem jugera diſſita, ut ſtrepitus rotarum, helciariorum celeuſma, cimbarum per Tiberim velociſſime decurrentium curſus, nullum omnino ſtrepitum Julio Martiali eorum jugerum domino dormienti inferrent. Quare, potius Annæ pomiferum Nemus Perennæ a poeta memoratum, inter Albanos quoque Tuſculoſque colles, & quodcumque jacet ſub Urbe frigus, annumerandum eſt, quam in vicinia Flaminiæ Salariæque. Ceterum, quod Ovidius feſtum Annæ dixerit celebratum: *Haud procul a ripis, advena Tybri, tuis*, nihil impedit: nam ripæ Tiberis etiam in Agro Laurenti, non procul a Numicio amne fuere. Neque tantum Roma Numicius diſtat, ut eodem die feſto Annæ, ejus cultores poti, ſub noctem Romam redire non poſſent. Non miror tamen, Cluverium eos verſus ſic ex ſua ſententia interpretatum; cum id Martialis carmen fœdiſſimis variantibus lectionibus corruptum, interpretes alii, dignum patellæ operculum addentes, alieniſſime ſint commentati. Jam vero, qui Numicium amnem ex lacu Nemorenſi Aricinæ Dianæ oriri meminerit, ex Ligorio; is cur Annæ pomiferum Nemus Perennæ virgineo cruore gaudere dictum fuerit, ſatis colliget. Eamdem vero Silius fabulam, quam hucuſque ex Ovidio retulimus, paucioribus referens, ex Didonis umbræ perſona ſororem Annam per quietem alloquentis, ita de Numici fluminis ſitu, deque Anna ejus nympha, mox cecinit:

Surge, age; jam tacitas ſuſpecta Lavinia fraudes

Mo-

Molitur, dirumque nefas ſub corde volutat.
Præterea (ne falſa putes hæc fingere ſomnum)
Haud procul hinc parvo deſcendens fonte Numicus
Labitur, & leni per valles volvitur amne.
Huc rapies, germana, viam tutoſque receptus.
Te ſacra excipient hilares in flumina nymphæ:
Æternumque Italis numen celebrabere in oris.

Mox ejus fugam, iiſdem pene ac Ovidius verbis Silius perſecutus, addidit:

Donec arenoſo (ſic fama) Numicius illam
Suſcepit gremio, vitreiſque abſcondidit antris.

Denique, Trojanorum Annam ſollicite per Laurentes campos quærentium ac veſtigantium curam, ipſiuſque divinitatem, voces, ac toto Latio inceptum ex illo cultum deſcribens, inquit:

Orta dies totum radiis impleverat orbem;
Quum nullam Æneadæ thalamis Sidonida nacti,
Et Rutulum magno errantes clamore per agrum,
Vicini ad ripas fluvii manifeſta ſequuntur
Signa pedum: dumque inter ſe mirantur, ab alto
Amnis aquas curſumque rapit. tum ſedibus imis
Inter cæruleas viſa eſt reſidere ſorores
Sidonis, & placido Teucros adfarier ore.
Ex illo primis anni celebrata diebus,
Per totam Auſoniam venerando numine culta eſt.

In eo quidem non ſatis convenire videtur Silium inter & Ovidium, quod Silius primis anni diebus celebratam Annam, prodiderit, cum Ovidius illam Idibus tantum Martiis feſta celebritate cultam, commemoret; ita in Faſtis *a* hujus menſis feſtum Annæ diem ſignans:

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ
Haud procul a ripis, advena Tybri, tuis.

Rem tamen paulo attentius perpendenti, inter utrum-

a Lib. 3. Faſt.

trumque poetam ſatis etiam in hoc convenire, continuo patebit. Cum enim de Priſcorum Latinorum anno ſit hic ſermo; jam Idus Martiæ, apud illos, inter primos anni dies merito computari poterant; cum Martius menſis initium Latinorum anno faceret; antequam Numa nec Janum nec avitas umbras, ut cum eodem Ovidio loquar, præteriret; & antiquis menſibus ipſe duos, Januarium ſcilicet, ac Februarium, apponeret. Ceterum, Annæ feſta dies ludo, choreis, cantu, atque compotationibus a plebe celebrabatur, annoſque felices ac ſane quam plurimos vitæ, alteri alteris augurabantur. diemque totam genio cum indulſiſſent; nunc ſub dio, nunc tentoriis, aut ſubitario ex ramis arborum excitato hoſpitio protecti, ebrii demum, ac titubantes domum in Urbem redibant; *Fortunatique* ab obviis Civibus appellabantur; perinde ac ſi ab Anna felicem atque longiſſimam annorum vitæ ſeriem, certo certius, ea celebritate impetraviſſent. Quamquam autem hæc feſta ad Annæ Perennæ, juxta Numicium, agitata eſſent, nec locus tam prope Romam foret; attamen neque tam procul idem erat, ut intra primam noctis vigiliam in Urbem reſtitui non poſſent. Siquidem Plinius Laurentinum ſuum, quod non longe fuit ab amne Numicio, vel ex hac opportunitate commendat, ut die Romæ in Urbanis negotiis inſumta, ſub noctem, nihilominus, adiri poſſet, & circa primas noctis horas inviſi. Ejus verba[a]: *Decem & ſeptem millib. paſſuum ab Urbe ſeceſſit: ut peractis quæ agenda ſunt, ſalvo jam & compoſito die poſſis ibi manere.* Ceterum, ut initio ajebam, non una de Anna Perenna, quænam porro eſſet, ſeu quodnam ſub Annæ Perennæ nomine numen vere Priſci Latini colerent, per ora vulgi vagabatur opinio & fama. Namque alii,

[a] *Ep.* 17. *l.* 2.

Lu-

Lunam hoc ſub nomine coli, alii Themin; quidam Io, Majam nonnulli arbitrati ſunt. Multi quoque, hoc Romanæ plebis feſtum in Annæ memoriam celebratum credebant anus Bovillanæ; quæ tempore ſeceſſionis plebis a Patribus, dum in ſacro Monte ſteterat, libis quotidie populum, ſumma ſedulitate confectis, paviſſet. Cui, pace facta, ſignum publice Plebs Romana poſuerat in *perennem* liberalis facti memoriam; eamque idcirco Annam Perennam vocaverat. Forte fuit numen Anna *ab anno* dictum: *Perenna* quoque ex eo quod *per annos* ſingulos, ſive *perenniter* coleretur. Certe ab illa *annandi* & *perannandi* vocabula ortum duxerunt, ſi Macrobio *a* fides, ajenti: *Eodem quoque menſe* (Martii) *& publice & privatim ad Annam Perennam ſacrificatum itur : ut annare perrannareque commode liceat*. Eſt autem *commode annare*, unius anni curſum commode, feliciter, tranquille tranſigere, atque conficere : & *perannare*, permultos annos pari felicitate ac tranquillitate traducere. Porro templum cum Nemore pomifero, ſive Luco, Annæ Perennæ ſeu Perannæ, ex his quæ hactenus collegimus, atque protulimus, veterum recentiorumque ſcriptorum teſtimoniis, eo loco fuiſſe conſtituimus ubi nunc ſacellum Sanctæ Petronellæ viſitur; ad fontes & antrum Numicii fluminis; non longe ab oppidulo *Patrica*. eſtque loco vulgare nomen, *Cona di Santa Petronella*. Jam vero turpem aliam fabellam de hac Anna non recenſebimus, ex qua originem liberam quamdam dicacitatem in ejus feſtis adhibitam traxiſſe, memoravit Ovidius; præcipue cum illa vix ad Annam Numicii nympham pertineat. Cluverius *b* Annæ Phœniſſæ Didonis ſororis, ad Latinum littus appulſum omnino falſum putavit; narratamque hactenus de illa hiſtoriam, purum putum mendacium, inter meras fabulas

a *Saturnal. lib.* 1. *c.* 12.

a *Lib.*3. *Ital. Antiq. p.mihi* 897.

bulas computavit; adjecitque, hanc Annam ad Laurens littus non magis appuliſſe, quam ipſum Æneam. quem Cluverius idem, longiſſima & ſane pererudita diſſertatione, in Italiam nunquam veniſſe, contendit. Quod tamen narrationi noſtræ minime officit: nos enim hic, atque adeo in Opere hoc univerſo, non tantum ea quæ Latinis Veteribus vere acciderunt, ſed etiam quæ priſcis temporibus accidiſſe illi ipſi, vel jure vel injuria, vere falſove, credebant ac memorabant, recenſere propoſuimus, atque perſequimur. Quare in Annæ hiſtoria vindicanda non immorabimur; illa tantum quæ de Numicio flumine in Agro Laurenti ſito, ejuſque religionibus ac numinibus jactabantur, in medium attuliſſe contenti.

CAPUT SEXTUM.

De Coloniis Laurentum ac Lavinium deductis, earumque claris Viris & Familiis.

SICANOS veteres, Pelaſgos, & Aborigenes Laurentem Agrum, mortalium primos, tenuiſſe, fama eſt. Poſt hos, Latini, a Rege Laurente hujus nominis, Laurentinam urbem incoluere. Mox Trojani in Agro Laurenti, Ænea duce, Coloniam ſuorum in recens conditis oppidis, Troja Nova & Lavinio, ſtabilivere. Triginta vero poſt annos ab Lavinio condito hæc urbs pene vacua relicta fuit ab Aſcanio; qui multitudinem fere omnem incolarum, potiorem certe ac majorem, ad Lacum & Montem qui Albani ab eo dicti ſunt, tranſtulit; ut novæ a ſe conditæ urbi Albæ Longæ cives daret. Jacuit itaque Lavinium exinde a populo ferme deſtitutum; nec, niſi

facer-

ſacerdotiis & ſacerdotibus veterum ſacrorum ac deorum celebre poſtea manſit. Profecto Laurentum atque Lavinium proprios primum Reges habuere, qui magnæ quoque Veteris Latii parti imperitabant, Laurentumque & Lavinium promiſcue, regias urbes, incolebant. Mox, translata Latinorum regni ſede Albam Longam, Laurentes ac Lavinates Albanis Regibus paruere. Conveniebantque cum ceteris Latinis fœderatarum urbium populis ad Ferentinæ Lucum, quoties Latinorum conventus indicti fuiſſent. Latinis quoque Feriis, in monte Albano celebratis, quotannis, Laurentes ac Lavinates interfuere; partemque carnis, quam viſcerationem dicebant, una cum reliquis accipiebant. Quam cum ſemel non accepiſſent; neglecti fortaſſe, quod eorum urbes deſpectui ob raritatem Civium haberentur; A. V. C. DLX. Latinæ inſtauratæ ſunt *a*, unicam hanc ob cauſſam quod Laurentibus carnes quæ dari debebant, datæ non eſſent. Poſt hæc, Lavinium deductam Coloniam, Livii Commentatores meminere; quamvis tempus quo potiſſimum deducta fuerit, nullus aſſignet. Vilhelmus *b* Godelevæus, illam bello Marſico deductam, putavit; idque ex Livio Florum libro trigeſimo memoraſſe ſcripſit. De Lanuvio tamen, non de Lavinio, locutum Florum, vehementer ſuſpicor. Quidquid id fuerit; hoc quidem multum veriſimile eſt, ex Laurento ac Lavinio, duabus urbibus vicinis atque cognatis, quod præ bellorum furiis, in ruinis pene jacerent, unam urbem factam; quæ Lauro-lavinium dicta eſt. eoque, Laurentum ſcilicet, (nam eo reliquum Lavinatium translatum, videtur) Coloniam ſive Latinam ſive Civium Romanorum, Imperatorum ætate, deductam fuiſſe. Id, præter Frontinum, vetuſti complures Lapides innuere videntur; qui Lau-

a *Liv. lib. 37. ſub init.*

b *In not. ad T. Liv. lib. 4. pag. mihi* 49.

rentium-lavinatium Coloniæ, ejuſque Magiſtratuum, Decurionum, Curatorum, Patronorum, aliorumque meminere. Et Frontinus *a* quidem *Lauro-lavinium*, inquit, *lege & conſecratione veteri manet. Ager ejus ab Imperatoribus Veſpaſiano, Trajano, & Hadriano in Lacineis eſt adſignatus. Iter populo non debetur.* Quibus ex verbis addiſcimus, Laurentum, quod poſtea *Lauro-lavinium* fuiſſe credimus, atque adeo ipſum Lavinium, inter Colonias Romanas antiquiſſimis temporibus computatum; ob ſacra deorum Penatium, aliaque, ſummam per religionem, a Latinis, & vero Romanis præcipue, culta. Quorum ob reverentiam, lege quoque cautum fuit, ne urbes iſtæ, ullo unquam tempore, penitus excinderentur, aut interire permitterentur; verum inter Colonias perpetuo recenſitæ manerent. Hoc enim ſibi velle videntur, atque præferunt Frontini verba: *Lauro-lavinium lege & conſecratione veteri manet.* Ceterum hanc Coloniam, eaſdem ob religiones, iterum ac ſæpius militum Romanorum deduxerunt Imperatores Fl. Veſpaſianus, Ulp. Trajanus, & Æl. Hadrianus, ex teſtimonio Frontini; qui agrum ejus in Lacineis, h. e. *per longum, in confiniis*, ab iiſdem Imperatoribus adſignatum militibus Colonis eodem deductis, refert; nullo in iis adſignandis viæ publicæ ſpatio in populi uſum relicto. Porro vetuſti Lapides alios etiam Imperatores de hac Colonia benemerentes commemorant; ob hoc ſtatuis ac monumentis publicis a Lauro-lavinatibus decoratos. Et de Trajano quidem talis eſt *b*:

a *Lib. de Coloniis.*

b *Fabret. Inſcript. Fol.* 682.

IMP. CAE - - - - - -
NERVAE. F - - - - -
VAE. TRAI - - - - -
AVG. GERM - - - -

PON-

PONTIF. M - - - -
TRIBVN. PO - - - -
IMP. III. COS - - -
LAVRENTES LA - - -
DEC. D. PVBLI - - -

Fragmentum hoc Lapidis recenſuimus nuper in oppido *Patrica*.

Lapis alter Antonino Pio Imperatori, ex Lanuvio oriundo, quod fuit in Agro Laurenti, ut videtur, inſcriptus hæc habet:

DIVO. ANTONINO. AVG
SENATVS. POPVLVSQVE. LAVRENS
QVOD. PRIVILEGIA. EORVM. NON
MODO. CVSTODIERIT. SED. ETIAM
AMPLIAVERIT. CVRATORE
M. ANNIO. SABINO. LIBONE. C. V.
CVRANTIBVS. TI. IVLIO. NEPOTIANO
ET. P. AEMILIO. EGNATIANO. PRAET
II. Q. Q. LAVRENTIVM.

Fabrett. ibid.

Hunc quoque Lapidem eodem in oppido exſtantem recenſuimus. Ubi ſingulariter eſt notandum, quod Laurenti Senatus nominetur, præter Coloniarum morem; in quibus pro *Senatu*, *Curia* tantum, ſive *Ordo Decurionum*, nominari conſueverat. Dederunt hoc fortaſſe Romani Laurentibus, ob veteres ſacrorum religiones, quarum cauſſa iiſdem nihil non conceſſere. M. Aurelium Antoninum forte Caracallam Imperatorem Lapis alius appellat, ſub ejuſdem ſtatua Laurenti publice conſtitutus; eo quod (putaverim) beneficiis hanc Coloniam cumulaverat. Is ita legebatur *b*:

b Fabrett. cap. 10. pag. 686.

DOMINO. NOSTRO
INVICTISSIMO - - - - -
OMNIVM PRINCIPVM R - - - -
BENIVOLENTIA. INDVLGENTIA
EXVPERANTISSIMO
IMP. CAESARI. M. AVRELIO
ANTONINO. OPTIMO
SANCTISSIMOQVE. P. - - -
FELICI. AVG. PARTH. MAX
BRITAN. MAX. PONTIF
MAX. TRIB. POT. XVI. IMP. V
COS. IIII. PROCOS. P. P
LAVRENTES LAVINATES

Quartus hic M. Aurel. Antonini Conſulatus, quem cum M. Aurel. Sever. Alexandro geſſit, notatur in Faſtis, V. C. DCCCCLXXV. a Chriſto Nato CCXXII. Galerio quoque Maximiano Cæſari ſtatuam Laurentes-lavinates publice poſuere. Hic circa annum Reparati Orbis quartum & trecenteſimum regnaſſe perhibetur, a Diocletiano Imperatore adoptatus; cui filiam Valeriam Diocletianus collocavit in matrimonio. quamvis Galerius, in Thracia natus obſcuriſſimo genere, *Armentarius* diceretur; quod armentorum paſtor fuiſſet. Sub Statua hæc Inſcriptio:

D. N. GALERIO VAL
MAXIMIANO
FORTISSIMO. AC
ſic BAEATISSIMO. CAES
PRINCIPI IVVENTVTIS
IVN. PRISCILLIANVS MAXIMVS
V. C. CVR LAVR. LAV
DIC. N. M. Q. EIVS

In

In ſiniſtro autem latere:

DEDIC. KAL. FEBR
MAXIMO. ET. AQVILINO. COS

nempe: V. C. MXXXIX. a Virginis Partu CCLXXXVI.

Huic Inſcriptioni quam in oppido *Patrica* proſtantem recenſuimus, aliam ſimillimam exhibet Ligorius, Flavio Valerio Coſtantio dedicatam, iiſdem omnino verbis ac recenſitam, ſed ſine Conſulibus; quam ideo hic referre merito parcimus.

Laurentum vocatum quoque *Coloniam Auguſtam*, & adjectum ibidem ab Auguſto Vicum, quem *Auguſtum* dixere, inſcriptis Lapidibus admonemur. Namque apud Gruterum *a* legimus:

a *Pag.* 484.

T. VENNONIO. T. F. STELL
AEBVTIANO. PATRONO. ET
MVNICIPI. COL. AVG. LAVR
EQ. R. EQ. P. IVD. EX V. DEC
SELECTO CVR. R. P. ALB
POMPEIANORVM - L - L
PONTIF. EIVSDE
SACERD
MVNIA Q. F. CELERINA
VXOR
MARITO KARISSIMO.

De Vico autem Auguſto Laurenti Lapis alter ſic meminit *b*:

b *Gruter. pag.* 398.

ME-

MEMORIAE
M. CORNELI. M. F. PAL. VALERIANI
EPAGATIANI. EQ.
DECVRIONI. SPLENDIDISSIMAE. COLONIAE. OS
FLAMINI. PRAETORI. II. SACRA VOLCANI. L - - - -
- - - - - - EMQVE. SODALI. ARV - - - - - - - - - - -
DECVRIONI. LAVRENTIVM. VIC. AVG. EIVS
PATRONO. CORPORIS. LENVNCVLARIORVM
AVXILIARIORVM OSTIENSIVM
VIX. ANNOS. XLI. ME. I
M. CORNELIVS. M. F. PALAT. VALERIANVS. DECVRIO
F. C.

Eamdem Inſcriptionem paullo immutatam ac decurtatam habet Gruterus, pagina trecenteſima decima octava; ibique integra leguntur verba: *Laurentium Vici Aug. ejus*. Porro Coloniæ Laurentinæ ſive Lauro-lavinatis Magiſtratus ſupremus, juxta ceterarum Coloniarum morem, Duumviri, ſeu plures ex Decurionum ordine fuere. Horum unus Cajus Firmius Rufinus; de quo Lapis apud Ligorium *a* ſic proſtat:

a *v. Tribu Menenia.*

C. FIRMIO. C. F. MENENIA
RVFINO. EQ. PVBLICO. LAVRENTINO
LAVINAT. DEC. FLAMIN
PATRONO COLLEGIORVM. FAB. CENT
DENDR. FELTRIAE
ITEMQ. BER. VENT
COLLEG. FABR. ALTINATIVM. PATRON

Ædiles pariter in hac Colonia creatos, Quinti Spurinnæ monumentum refert *b*:

b *Grut. pag.* 1029.

Q. SPVRINNAE Q. F
P- - - - - - - - QVINTIANO
EQ. PVBL. LAVR LAVIN
AEDIL. II VIR. CVRAT. KAL. PLEB. ARRET
CVR . . . . . VBL. VETVLO
NEN-

NENSIVM. PLEBS
VRBANA
L. D. D. D

Ceterum & Patronos ſuos habuit Laureutina Colonia, qui ejus incolumitatem ac privilegia omnia ſarta tectaque apud Cæſares Romæ patrocinarentur. Horum præclariſſimus Publius Papius Reſtitutus, e Tribu Menenia, inſcribitur in Lapide inter ruinas Lauro-lavinii reperto, ex Ligorii teſtimonio, in hæc verba: *a*

a *v. Tribu Menenia.*

P. PAPIO. P. F. MENENIA. RESTITVTO
PONTIF. MINORI. SALIO. MARTIALI. TRIB
MIL. LEG. XV. APOLLINAR. IIII. VIRO COLLEGIOR
CENTON. ET DENDROFOR. PRAEF. FABR. LAVRO-LAVIN
EIVSDEM. PATRONO. OPTIMO. COLL. OMNIA
DEC. DECVR. L. D. E. P.

Et Lucius Cæſius Marcellus Patronus Laurentium-lavinatium memoratur *b* Sponiano in Lapide:

b *Spon. ſect. 5. pag. 199.*

L. CAESIO L. F. MARCELLO. LAV
RENTI. LAVINATIVM. P. C. TEATIN
ORVM. CAESIVS. PROCVLVS
SEN. FILIO. DVLCISSIMO. B. M. P

At P. Ælius Marcellus; de quo Gruteriana longiſſima Inſcriptio, cujus hoc principium: *c*

c *pag. 347.*

P. AELIO. P. F. PAPIRIA. MARCELLO
CENTVRIONI. FLAMINI. LAVRENTIVM
LAVINATIVM PATRONO

Flamen quidem Laurentium-lavinatium, non tamen Patronus, dicitur, quod male quidam interpretabantur;

tur; cum vox *Patronus* ad ſequentem Coloniam referri debeat.

Q. quoque Fabius Calatinus Laurentium-lavinatium Patronus legitur; quamquam Lapis ejus Lauro-lavinium non *Coloniam*, ſed *Municipium* nominet. de quo infra diſſeremus *a*.

a *Spon. ſect. 2. art. 11. pag. 60.*

Q. FABIO. Q. F. ESQVILINA
CALATINO
PRAEF. FABR. LEG. VI. AVG
X. VIRO STLIT. IVDICAND
PATRONO MVNILIP
LAVIN. LAVRENT
FABIVS Q. F. ESQ. SILVESTER
PIETAT. CAVS

Procuratorem vero hujus Coloniæ Tiberium Claudium Auguſti Libertum Speclatorem fuiſſe monemur ex Inſcriptione ſic habente *b*:

b *Grut. pag. 391.*

TI. CLAVDIO. SPECLATORI
AVG. LIB
PROCVRATORI. FORMJS. FVNDIS
CAIETAE. PROCVRATORI
LAVRENTO. AD. ELEPHANTOS
CORNELIA. BELLICA. CONIVGI
B. M

Jam vero, Quatuor Virorum Magiſtratum Lauro-lavinii aliquando exſtitiſſe, quorum unus Lucius Muſſius Æmilianus fuerit, Gruterianus Lapis innuere viſus eſt, his notis inſcriptus: *c*

c *Grut. pag. 440.*

L. MVS-

L. MVSSIO. AEMILIANO
LAVRENTI. LAVINATIVM
IIII. MILIT. V. E. PRAEF. VE....VL
TRIVM. PROV. GALL. LVGDVNENS
NARBONENS. ET AQVITANENS.
AD. S-S. LX. PROC. ALEX. PELVSI.... PV...
AD S-S. C. PROC. PORTVS. VTRIVSQ. A....
VIRO INNOCENTISSIMO
CODICARII. NAVICVLARII. ET
QVINQ. CORP. NAVIGANTES. OB
INSIGNEM. EIVS. ERGA. SE
BENIVOLENTIAM. AC. SINGV
LAREM. ABSTINENTIAM

Denique Laurentinæ Coloniæ expreſſam mentionem facere videtur Lucio Fabricio Cæſennio Gallo ſepulcralis poſita Inſcriptio hujuſmodi *a*:

a *Exſtabat Romæ prope S. Marcum ex Monfaucon Diar. Ital. c. 19. fol. 262.*

D. M.
L. FABRICI. L. F. PAL.
CAESENNI. GALLI. EQ. ROM.
PONTIF. L. L. SCRIB. AEDILIC.
OMNIBVS. HONOR. IN COL. F.
ITALICVS. P. DIGNISSIMO

Sed & *Reipublicæ* ſpecioſa appellatione Laurentinam Coloniam, quamvis vetuſtate pene collapſam, atque a Civibus deſtitutam, inſignitam nihilominus aliquando, legimus; & *Curatorem* habuiſſe. Certe Lucius Valerius Poplicius Balbinus in Gruteriano Lapide, tali munere functus recenſetur: *b*

b *Grut. pag. 1101.*

L. VALERIO. L. F. CL. POPLICIO
BALBINO. MAXIMO. COS. ORD
PR. F. TVC. Q. F. LEG. PROV. ASTYR
CVR. REIPVB. LAVR. LAVINATIVM
ITEM. COGNOSCENTI. AD. SACRAS
APPELLATIONES. XV. VIR. SAC. FAC.
SEVIRO. EQVITVM. ROMANOR
AMICO. INCOMPARABILI
L. IVNIVS. SEPTIM. HERMOGENES

PONTIF. L. L. TRIB. COH - - - - -
OB. EXIMIAM. EIVS. ERGA. SE. IN. OMN - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -
HONOREM

Pervetuſta quæ Lapidum monumenta, ad hanc Coloniam ſpectantia, poſtquam a nobis ſic curſim ſunt recenſita, ratio exigit, ut ea quæ ex iiſdem eruuntur ad Laurentes & Lavinates illuſtrandos conducentia, diligentius paullo excutiamus atque ponderemus. Igitur ex hactenus allatis teſtimoniis, Coloniam fuiſſe Lauro-lavinium certo ſcimus; in qua Decuriones, & Quatuorviri, & Duumviri Quinquennales, & Prætores, & Ædiles, olim Magiſtratus creati ſunt. Patronos item habuiſſe, Curatores, & Procuratores, qui Romæ apud Cæſares Laurentium-lavinatum cauſſas ſuſciperent, agerent, atque defenderent; eorumdemque cetera negotia omnia rite procurarent. Municipium quoque Lauro-lavinium quandoque exſtitiſſe. Ac demum Reipublicæ ſpecioſo nomine ornatum, *Senatum Populumque* in publicis tabulis titulos inſculpſiſſe. Quæ privilegia ab Imperatoribus Colonia obtinuit, dum per ſua ſacra, eorum ſuperſtitionibus & curioſitati adulatur. deficiente jam Romanarum Legum diſciplina, quando honores ac tituli dignis indigniſque promiſcue, per ſummum abuſum, collati ſunt. Ceterum Collegia complura Lauro-lavinii congregata, atque ſtabilita fuiſſe, Lapides iidem relati monent. Illorum præcipue artificum qui maritimam ſupellectilem adornabant, ut Centonarii, Dendrophori, Navicularii, & Codicarii fuere. Quorum munia, utpote alibi in hoc Opere jam explicata quæ forent, iterum hic exponere conſulto parcimus. Certe Laurentum, quod poſterioribus ſæculis Lauro-lavinium fuiſſe jam ſæpius ſignificavimus,

ad

ad mare conſtitutum cum fuerit; & ſilvis circa ſe ingentibus circumdatum; aptiſſimum rei Nauticæ comparandæ, Romani merito adhibuerunt. Antoninus autem Auguſtus idcirco Laurentium-lavinatium privilegia ampliaſſe dicitur, quod ab Lanuvio oppido in Agro Laurenti ſito originem duxerat. Qua de cauſſa & M. Aurelius Antoninus forte Caracalla pari benivolentia Laurentes-lavinates eſt proſecutus. Hujus enim veriſimiliter, præter jam allatum Monumentum in baſi Statuæ eidem in Foro Laurenti conſtitutæ, aliud etiam exſtabat, ad Pontem, in confinio Agrorum Laurentis & Oſtienſis, ab ipſo reſtitutum, una cum Severo Alexandro, quocum aliquandiu ſimul imperavit. Monumentum tale erat: *a*

a *Fabretr. c. 10. fol. 697.*

IMPP. CAESARES
AVRELIVS - - - - - - - -
ONINVS - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -
PIJ. FELICES. INVICTI. AVGVSTI
MAXIMI BRITANNIC
MAXIMI. PERSICI. MAXIMI
TRIBVNITIAE. POTESTATIS
COSS. PATRES. PATRIAE
PROCONSVLES
PONTEM LAVRENTIBVS
ADQVE OSTIENSIBVS
OLIM. VETVSTATE. COLLABSVM
LAPIDEVM RESTITVERVNT

Nunc conciſas aliquot relatorum Marmorum notas, lumen pariter hiſtoriæ noſtræ addituras, pro viribus explicemus. Et quidem notandum primo, recenſitos

Lapides fere omnes, baſes fuiſſe Statuarum publico Decurionum Decreto, Laurenti in foro, aliove conſpicuo loco; poſitarum iis quorum in Lapidibus mentio. Si paucos excipias ſepulcrales, qui tamen per notas ſeu ſiglas, ut vocant, D. M. hoc eſt, *Diis Manibus*, ſe ſe manifeſto produnt. Jam vero in Antonini Lapide *Curatorem* legimus & *Curantes*. Nam M. Annius Sabinus Libo, clarus vir, Curator fuit Coloniæ ſive Reipublicæ Laurentium-lavinatium, dum Tiberius Julius Nepotianus & Publius Æmilius Egnatianus Prætores Duumviri Quinquennales Laurentium Statuam Antonino ponendam publice curaverunt. In Lapide autem Galerii Maximiani notæ IVN *Junius*. V. C. *Vir Clarus* ſive *Clariſſimus*. CVR. LAVR. LAV. *Curator Laurentium-lavinatium* ſeu *Lauro-lavinii*. DIC. N. M. Q. EIVS, *Dicavit numini majeſtatique ejus*, ſignificant. Porro Titi Vennonii Lapis ita legendus: *Tito Vennonio, Titi filio, Stellatina* (ſcilicet Tribu) *Æbutiano, Patrono & municipi Coloniæ Auguſtæ Laurenti, Equiti Romano Equo Publico* (ſcilicet Donato) *Judici ex Quinta Decuria Selecto, Curatori Reipublicæ Albenſium Pompejanorum, Lauro-lavinii Pontifici, ejuſdem* (ſupple, *urbis*) *Sacerdoti, Munia, Quinti filia, Celerina, uxor marito cariſſimo monumentum poſuit*. In Lapide vero Marci Cornelii Valeriani mentio fit *ſacrarii* ſive *ſacrorum Volcani*, quibus præſidebat Cornelius. Hæc *Volcanalia* dicta ſunt; indicatque Lapis Lauro-lavinii, ceteras inter ædes diis ſacras, etiam *Volcano*, ſive Vulcano, ſacrarium, ſive aram publice poſitam. Quam crediderim in templo Veſtæ fuiſſe conſtitutam. Siquidem Vulcanus & ignis deus, & ignis ipſe dictus eſt. Qui cum perpetuus in Æde Veſtæ virginum aſſidua cura cuſtodiretur; ibidem ſacrarium, ac ſacra habuiſſe videtur. Certe vetus Lapis dedicationem Veſtæ, ſub nomine

Sta-

Statæ Matris, & Vulcano factam exhibet, his verbis *a*:

a *In Muſæo Kircheriano.*

STATAE MATRI
ET
VVLCANO QVIETO

Eodem in Lapide Marci Cornelii, ipſe inſcribitur *Sodalis Arvalis*; ſcilicet ex Collegio illorum qui *Sodales Arvales*, & communiori vocabulo, *Fratres Arvales* dicebantur: quibus cura ſacrorum ruſticorum faciendorum, ſeu procurandorum, pro frugibus. quorum præcipuum *Sacrum* fuit *Ambarvale* nominatum, ab ambiendis, ſeu circumeundis & luſtrandis arvis; quod elegantiſſime deſcribitur a Tibullo *b*. Eodem in Lapide M. Cornelii has notas *Vic. Aug. ejus* interpretati ſumus, *Vici Auguſti ejus*; ajentes, Marcum Cornelium Patronum fuiſſe urbis Laurenti, & Vici Auguſti ejus, nempe Vici, ſive Suburbii, quod additum ab Auguſto Cæſare antiquis ædificiis urbis Laurenti, vocaretur *Vicus Auguſtus*. Hanc autem interpretationem adhibuimus idcirco, quia Lapis idem ab aliis referatur expreſſis notis ſic, *Laurentium, Vici Auguſti ejus*. Hic tamen non omittendum, aliter quoque eas notas *Vic. Aug. ejus Patrono*. explicari poſſe, *Vice Auguſti* ſive *Auguſta, ejus urbis Patrono*. quemadmodum ſæpiſſime judices & cognitores ad ſacras appellationes memorantur in Lapidibus, pro Cæſare officio functi. qui dicebantur V. S. *Vice ſacra* judicare. Denique aliis commode legi poſſe viſum eſt VIC. AVG. EIVS. PATRONO *Seviro Collegii Auguſtalium ejuſque Patrono*. Quæ tamen lectio difficultatem patitur in littera C. vocis VIC. & in voce EIVS, cui neque littera Q. neque ipſa vox integra QVE eſt conjuncta, ut alibi ſæpe. Corpus vero Lenunculariorum auxilia-

b *Eleg. 1. lib. 2.*

liariorum Oſtienſium, cujus M. Cornelius noſter Patronus inſcribitur, Collegium fuit Nautarum parva navigia regentium, qui *Lenunculi*, ſive *Lembunculi*, aut *Lembuli* vocabantur. Erant autem hi nautæ congregati Oſtiæ ad auxilium ferendum majorum navigiorum navarchis, levandaque oneribus ipſa navigia; quo commodius adverſum Tiberim ingredi poſſent. Jam, Collegia Fab. Cent. Dendr. quæ in Caji Firmii recenſito Lapide memorantur, Collegia ſunt Centonariorum, h. e. Fabrorum ſive, nitidius, Fabrum, qui tabernacula & Caſtrenſem ſupellectilem (quæ *Centones* vocabantur) ſuppeditabant, & Dendrophororum, ſcilicet Arbores ad nauticam comportantium, juxta urbes ad mare ſitas. De quibus multa in noſtra Antiatina Tabula Illuſtrata diſſeruimus: & plura etiam in epiſtola ad Lectorem ſexto & ſeptimo hujus Operis Libris præfixa. In Lapide Quinti Spurinnæ, ſiglæ ſic legendæ & ſupplendæ videntur. *Quinto Spurinnæ Quinti Filio, Palatina*, vel *Papia*, vel *Pinaria* &c. *Quintiano, Equo Publico*, ſcilic. *Donato, Laurentium-lavinatium Ædili Duumviro, Curatori Kalendarii Plebis Arretii, Curatori Reipublicæ Vetulonenſium, Plebs Urbana*, ſcilicet *Romæ*, ſive *Romana*, ſive *Urbana*, non Ruſtica illius urbis, ubi olim poſitus hic Lapis, monumentum poſuit. *Loco dato*, ſeu *Locus datus Decurionum Decreto*. Quid autem ſibi velit titulus *Curatoris Kalendarii*, non ſatis apparet. Poſſet enim quis illum explicare de Curatore templi ſive ſacrorum Junonis Laurentinæ ſeu Lavinatis, quæ *Kalendaris* titulo his in urbibus colebatur, & de qua Ovidius *a*:

a *Faſtor. lib.* I. *v.* 55.

Vindicat Auſonias Junonis cura Kalendas.

Obſtant tamen huic interpretationi verba quæ ſequuntur in Lapide: *Plebis Arretii*. Quare dicendum po-

potius videtur Curatores hos fuiſſe Menſtruos, qui nempe in ſingulos menſes Kalendis eligerentur; Plebis Arretinorum, & Reipublicæ Vetulonenſium, ambarum Etruriæ urbium vetuſtiſſimarum, earumdemque olim potentiſſimarum. Vel omnium optime, Kalendarii hos curam habuiſſe, quod *Ratiocinarium* aliter dictum eſt, fuitque Liber in quo ſcribebantur nomina eorum qui mutuam dabant pecuniam; ſive autem eſſet Kalendarium Civitatis, ſive oppidi, ſive privatorum. Unde Seneca libro de Beneficiis altero, *Nemo*, inquit, *beneficia in Calendario ſcribit*. Forte ita dictum, quia Kalendis mutuum dabatur juxta illud Horatii Epod. 2. v. 67.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius, &c.
Omnem redegit Idibus pecuniam.
Quærit Calendis ponere.

Horum autem Curatorum Statuis a plebe Urbana poſitis locus datus Decurionum Decreto dicitur, ut honos iſte publico ſupremi in Colonia Ordinis judicio illis decretus oſtenderetur. quod etiam in Lapide Publii Papii ab Collegiis omnibus artificum Lauro-lavinatium factum fuiſſe, indicant literæ DEC. DECVR. L. D. E. P. ſcilicet, *Decreto Decurionum Locus Datus eſt Publice*. Jam vero Quintus Fabius Calatinus e Tribu Eſquilina *Decemvir Stlitibus judicandis*, inter cetera præclara munera, memoratur in baſi ejus Statuæ, ut videtur, olim appoſita. Quod idem fuit ac litium judicandarum judicem eſſe; ſiquidem veteres, Feſti teſtimonio, & Lapidum multorum antiquorum auctoritate, pro *litibus*, *ſtlitibus judicandis*, dixerunt. At Tiberius Claudius Auguſti Libertus Laurento Procurator, in ſuo Cippo *Speclator* nominatur. Quod legant ac perlegant rigidi Cenſores illi qui *Speclatoris*, ſive *Speculatoris* (nam idem utrumque eſt)

eſt) munus Libertis nunquam datum fuiſſe antiquitus, confidenter nimis pronunciare non dubitarunt. Et in Tabula Antiatina Illuſtrata illius notæ SPEC. *Speculator* interpretationem carpebant; quod minus appoſite Libertis, de quibus ibi fere ſermo, Speculatoris munus attribuiſſemus. Neſcii procul dubio quæ & quanta Libertorum Cæſarianorum apud dominos gratia fuerit atque potentia: qui ad ſuprema quæque munera non militaria tantum, verum & Equeſtria, Patricia, Senatoria, & Conſularia quoque, ſi ſuperis placet, per ſummum eorum Ordinum dedecus, evecti non raro ſunt. Speculatorem autem non tantum militem in ſtatione de ſpecula proſpicientem, verum etiam ſecretum Cæſarum tabellarium fuiſſe, in ea interpretatione ſignificavimus. Ceterum Tiberius hic Claudius Auguſti Libertus Speculator, idem *Procurator Laurento ad Elephantos* inſcribitur. Ex quo, aſſervatos aliquando apud Laurentum Elephantos, ad eorum ſpectacula Romæ edenda, dicendum videtur. Silvarum forte circa hæc loca opportunitas iis alendis hoc fecit. vel fuit in Agro Laurenti Cæſarum villa quæ vocaretur *ad Elephantos*, ob haſce belluas in ſpectaculis producendas, ibidem intra ſepta ſervatas, vel ob earum Coloſſeas imagines inſculptas aut depictas ibidem conſtitutas, cujus villæ Tiberius Claudius fuerit Procurator. Porro Inſcriptio Lucio Muſſio Æmiliano Laurentium-lavinatium Quatuorviro poſita difficiles quaſdam notas interpretandas continere videtur. Quid eſt enim MILIT. V. E? Interpretor, *Militi quinquies Evocato*. Romani enim poſtquam ſolitos militiæ ſuæ annos ſtipendiis faciundis expleverant, qui ferme ab ſextodecimo ad quadrageſimum uſque ſextum vel ſeptimum fuere, miſſionem juſtam accipiebant; nec ex illo ad militiam jam cogi poterant, veterani

atque

atque emeriti effecti. Verum, arctis in rebus, quoties e Republica fuisset, ab domo & rure evocabantur ab Imperatoribus, non raro, ad repetendam militiam. quod rogatione ac precibus Ducum, sæpe etiam literis & nuntiis qui nominatim eos *evocarent*, fiebat. Quod autem roboris hoc, & fortitudinis virtutisque bellicæ jam exploratæ manifestum argumentum foret; idcirco honori gloriæque tribuebatur, quod quis *Evocatus*, sive *Evokatus* fuisset; quantoque sæpius id illi contigerat, tanto majori militari virtuti in eo compertæ tribuebatur. Quare in monumentis, publicis inciſis notis, si quis *Evocatus*, quotiesque fuisset, inscriptum sæpissime reperimus. Evocati vero milites præmiis singularibus donabantur; quæ Juvenalis, Satyra ultima, ubi commoda militiæ cum sale numerat, descripsit. Præcipuum fuit, ut singuli tamquam Centuriones vitem insigne gestarent. Sunt qui legant in hoc Lapide literas VE conjunctim sine puncto discretivo, & de milite *Veterano* illas simplicius interpretentur. Alia verba in Inscriptione Lucii Mussii mutila: VE------ VL TRIVM Ligorius *Vehiculariorum* interpretatus est. quod optime antecedentibus & consequentibus, alioquin implicatissimis verbis, consentit. Scilicet *Præf. Præfecto Vehiculariorum. Prov. Gall. Lugdunens*; *Provinciæ Galliæ Lugdunensis*. Aliter legendum esset *Trium Prov. Gall. Lugdunens*, neque intelligi posset quænam tres istæ Galliæ Lugdunensis Provinciæ essent. Ita ex Ligorio; sed cum in eodem Lapide ex Gruteri recensione legamus: *Trium Prov. Gall. Lugdunens. Narbonens.* & *Aquitanens.* res jam est in vado, nec ulla amplius Ligoriana difficultas apparet. Eodem in Lapide AD S-S LX. & AD S-S. C. PROC. interpretamur, cum Scaligero, *Ad sestertium sexaginta, & ad sestertium centum Procuratori* Pe-

luſii publice & Portus utriuſque Alexandrini, cum reliquis. ſcilicet, quod Lucius Muſſius unus eſſet e Publicanis qui Cæſaris vectigalia in Ægypto procuraret. Huic Statuam poſuiſſe Laurenti Codicarii navicularii, & quinque Corporum navigantes, dicuntur. Erant autem *Codicarii* navicularii, qui naviculis e *codicibus*, h. e. caudicibus arborum, craſſioribus ſcilicet tabulis, utebantur. Eſt enim codex, ſive caudex, quod ſciunt omnes, craſſiore libro conſtans pars arboris; in qua quia antiquitus ſcribebatur, vel quod caudicibus tegebantur, idcirco libri etiam *Codices* ſunt appellati. Notandum denique quod Lucio Muſſio hæc nautarum, ſeu verius navis rectorum Collegia Statuam poſuerunt, *ob ſingularem ejus* in ea *beni-volentiam & abſtinentiam*; quæ vox noviſſima, Lucium Muſſium, dum his Collegiis patrocinaretur, nihil ab illis in ſui lucrum aut commodum accepiſſe unquam, ſingulari abſtinentia, ſignificat. dum, contra, plerique omnes ſub patrocinii ſpecie clientes expilare miſerandum in modum conſueverant.

Sequitur Lucio Fabricio ſepulcralis poſitus Lapis, quem ſic inoffenſo pede percurres: *Dis Manibus Lucii Fabricii Lucii filii, Palatina e Tribu, Cæſennii Galli, Equitis Romani, Pontificis Laurentium-lavinatium, Scribæ Ædilicii, omnibus Honoribus in Colonia functi*; *Italicus Patri Digniſſimo*; vel *Poſuit Digniſſimo*. Hunc Lapidem una cum aliis quamplurimis erudite interpretatus eſt Comes Joannes Baptiſta Braſchius Patricius Cæſenas Eques Hieroſolymitanus, & Sarſinenſis ac Niſibitanus Antiſtes, vir pietate ac doctrina, eruditione quoque multiplici tum ſacra tum profana clariſſimus; & in Romana Curia nobilibus functus muneribus, in ſuis de Cæſennia Familia jam editis Lucubrationibus. quare nil eſt quod in eo illuſtrando immoremur. At vero

ad

ad Lucii Valerii Balbini Lapidem alium, pone ſequentem, elucidandum, nonnihil addendum. In primis Balbinus e Tribu Claudia *Coſ. Ord. Conſul Ordinarius* inſcribitur. quod, ad Suffectorum Conſulum diſcrimen, notatum eſt. Cum enim Cæſares plures Conſulatus obirent, quemadmodum in eorum nummis inciſum legitur; aliquos illorum inibant tantum, & paucos poſt menſes dimittebant; in ſuique locum ex amicis aliquem ſufficiebant; qui proinde *Conſul Suffectus* dicebatur. Porro qui Conſulatum Kalendis Januariis iniviſſent, hi tantum *Conſules Ordinarii* dicebantur; eorumque de nominibus Anni computari & Faſti recenſeri conſueverant. Itaque, quod major multo Conſulum Ordinariorum, quam Suffectorum, æſtimatio erat; qui Ordinario Conſulatu functi eſſent, id Lapidibus ac Monumentis reliquis inſculpi curabant. Non ignoramus tamen etiam Suffectorum Conſulum in Faſtis aliquibus recenſita nomina legi; verum cum addito ſemper quod ſuffecti fuerint, & a quo menſe quaque die menſis dimiſſum ab alio magiſtratum ſuſceperint. Jam vero, in eodem Balbini Lapide, poſt Conſulis Ordinarii titulum, hæ notæ PR. F. TVC. Q. F. quid ſibi velint, ignorare me omnino, candide fateor. Ut enim primam PR. *Prætorem* interpreteris, quomodo ſequentes congruenter aptabis? Hæc igitur aliis poſt me enodanda relinquens, quæ ſuccedunt his, explanabo. LEG. PROV. ASTYR. *Legato Provinciæ Aſtyriæ*. Mirum quod quis de Aſtura, exigua inſula in ora Latina, non longe ab Antio, cum flumine cognomine, de qua in noſtro de Antiatibus Libro fuſe locuti ſumus, interpretari hæc verba potuerit; quaſi Provincia, hæc unquam fuerit; cum ſit in ſuburbiis ferme ipſis Romæ conſtituta. Sermo igitur eſt de Provinciæ *Aſtyriæ*, ſive *Aſtu-*

ria, apud Hiſpanos, Legatione obita ab Valerio Balbino. Qui Curator Reipublicæ Laurentium-lavinatium cum eſſet, *Cognoſcens* quoque *ad ſacras appellationes* nominatur; quod eſt Judex a Cæſare conſtitutus in cauſſis quibus clientes reique Cæſarem appellaſſent. Hæ namque *ſacræ* dicebantur *appellationes*. Balbinus idem *Quindecemvir ſacris faciundis* inſcribitur. quo ſacerdotio vel Lauro-lavinii fungebatur, vel melius Romæ, aut certe apud Algidum in ſacris templi Dianæ Algidenſis, quæ Quindecemvirûm Collegium curabat; ut ſuo loco exponemus. Ceterum Lucius Junius Septimius Hermogenes, qui Balbino amico incomparabili Monumentum poſuit, Tribunus Cohortis, & Pontif. L. L. Pontifex Laurentium-lavinatium deſcribitur. quare multiplici Lapis hic titulo ad noſtram hanc Coloniam pertinere deprehenditur.

Atque hæc quidem hactenus explanaſſe ſufficerit. Ceterum Junius Priſcillianus Maximus Laurentium-lavinatium Coloniæ Curator eamdem Coloniam antiquæ nobilitati ac majeſtati reſtituiſſe aliquatenus videtur. Siquidem multos nuper in oppido *Patrica*, quod Lavinii vel Lauro-lavinii ſedes multis merito fuiſſe judicatur, legimus baſium titulos, in quibus Priſcilliani, Statuarum Imperatoribus aliiſve illuſtribus viris dedicatarum, Conſtitutoris, ſive Reſtitutoris mentio habetur. Præter enim in ſuperioribus jam allatas Inſcriptiones; in fragmento baſis legimus:

- - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - ROMAN
IVN. PRISCILLIANVS MAXIMVS
V. C. CVR. LAVR. LAV
DIC. N. M. Q. EIVS

Et

Et in alio:

- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -
PRINCIPI IVVEN - - -
IVNIVS PRISCILLIANVS
MAXIMVS. V. C
CVR. LAVR. LAV
DIC. N. M. Q. EIVS

Cujus in ſiniſtro latere, literis minoribus & rudioribus:

DEDICATA. EID FEBR
MAXIMO II ET AQVILINO COS

Recenſentur in Faſtis Conſularibus hi Conſules ſic: *Junius Maximus II. Vectius Aquilinus* Urbis Conditæ M.XXXIX. poſt Chriſtum Natum CCLXXXVI. ſub Cajo Valerio Diocletiano Auguſto, poſt Conſulatum ejus ſecundum. quibus ex titulis prudenter ſane eſt colligere Priſcillianum exornaſſe Lauro-lavinii Forum Imperatoriis conſtitutis Statuis quarum plures baſes adhuc ſuperſtites viſuntur; Statuis quoque ad unam non omnibus adhuc conſumtis. Quandoquidem Patricæ in foro duo adhuc earum prægrandes trunci cernuntur, Imperatores inter deos jam relatos referentes; clamyde namque ſuper nudo corpore amiciuntur; quod immortalitatis ac Divinitatis argumentum antiquis fuit. Horum hic figuram qualemcumque appingendam curavimus. Alia quoque in ædibus Burgheſiorum Principum, quorum in ditione eſt oppidum, Statuarum fragmenta habentur; verum adeo comminuta & lacera, ut eorum exempla ſumere, operæ non fuerit pretium.

In alia vero baſi, quæ ab imperitis inverſo capite fuit

fuit collocata, ita ut literæ nonniſi ægerrime legi poſſint, hæc tamen legimus:

- - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - -
LVPO C. V. CONSVL
ARI SACRAE VRBIS
REGIONIS IIIIII. CVR
LAVRENTIVM. LAVIN
VAL. COMMAGENVS
PVLLAENIVS. MARTIALIS
ALLIVS. BENEDICTVS
AEMILIVS. EVTICIANVS
AVR. FORTVNIVS
CAESIVS. DVLCITIVS V. V. EE
PATRONO. DIGNISSIMO CVR

Lupo huic Conſulari Curatori Laurentium-lavinatium, Romano, ex regione Urbis ſexta, cui, ex Victore & Rufo, nomen fuit *Alta Semita*, patrono digniſſimo, Statuam *votis erexerunt* Laurentes-lavinates Sexviri, qui in Lapide memorantur. vel, ſi mavis interpretari V. V. E E. *Vernæ ejus erexerunt*. cum vere nomina in Lapide inciſa ſervorum conditionem ſapere videantur; & e contrario Seviri Laurentes-lavinates ſuos titulos inſcribere omiſiſſe temere dicendi non ſint. Quod tamen ſtabilire ac definire, doctioribus libenter permittam. Rurſus in alio fragmento noviſſime eruto legimus, grandioribus & perpulchris notis inciſo:

SECVN - - - - - - -
SIMIL - - - - - - - - -
LAVR - - - - - - - - -
DE SVO PO - - - - -

Et

Et in baſi ceteris literis jam ſenio exeſis, hæ tantum legi valuere:

CAECILIAE Q. F
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -

At in alia eleganter has ſculptas recenſuimus:

SILVIVS AENEAS
AENEAE ET LAVI
NIAE FILIVS

Ex quibus planiſſime colligimus, quam alte Lavinatibus fuerit perſuaſum ab Ænea ſe & Lavinia ejuſque poſteris Regibus originem deduxiſſe. Quod attenderint, velim, quotquot, cum Cluverio, Æneæ ad Latina littora appulſum, meras fabulas computarunt. Eſto enim. quid tamen, ſi hæ fabulæ multarum hiſtoriarum ſunt fundamenta? Non igitur earum memoria iiſdem ab hiſtoriis, ſine illarum ingenti jactura, ablegari poteſt. In alio quoque baſis fragmento legimus:

- - - - - - - - - - -
TRANSLATA EX OBSO . . . . .
- - - - - - - - - - - - - - - - - - -

Ex obſoleto loco, legendum exiſtimavimus. Unde & Reſtitutionis veterum Lauro-lavinienſium monumentorum aliquando factæ novum aliquod argumetum deſumi poteſt. Denique in plumbea fiſtula legimus, exſtantibus literis: *Julius Eutychianus Fec.* & in ſigillo

lo teſtaceo, in quo Hercules cum clava & pomis tribus, in vinea Burgheſii Principis juxta oppidum ſata, eruto: *Opus ex Prædis Aureli Cæſ.* atque in interiori gyro: *Ofici. ieronymi.*

Area quoque oppidi muſivo & teſſellato marmoreo, antiquo opere ſtrata adhuc ex parte apparet; cujus operis veſtigia permulta in vineis circa oppidum deteguntur; ædificiorum etiam fundamenta ac murorum informium plurima rudera, maxime mare verſus pergentibus occurrunt, inter vineas quas *de' Boſſi* aut *Boſi* nominant accolæ, ex frequentia ſatæ buxus. Quæ omnia Laurentum-lavinium & Lauro-lavinium deductarum olim Coloniarum magnificentiam & majeſtatem ſignificant.

CAPUT SEPTIMUM.

De Familiis Laurentibus, Lavinatibus, & Lauro-lavinatibus apud Romanos illuſtribus.

QUI, Æneam Trojanum ad Italiæ littora nunquam appuliſſe, cum Cluverio mordicus tenent; ii profecto veterrimas Latinas familias, ac Lavinates præſertim, ab ejuſdem Æneæ ſociis originem deducentes, inter meras fabulas computabunt. Qui tamen, conſtantiſſimam omnium Romanorum famam atque opinionem ſecuti, Æneæ adventum in Italiam defendunt, ii quamplures Latinas, ac mox Romanas familias, ab Æneæ ſociis propagatas, recenſeri ab optimis ſcriptoribus, optime norunt. Nos vero, qui nec fidejuſſores vetuſtiſſimæ de Æneæ ad Lavina littora appulſu famæ, nec contemtores ſumus, id tantum trademus; quamplures Romanas Familias ab Æneæ ſociis

Tab. I.

B.

A.

C.

A. Vestigium Vrnæ Marmoreæ statuis olim insignis in Oppido Patrica, quod Lauinium fuisse creditur, adhuc extans in Aedibus Burghesiorum Principum. B. Basis Antiquæ Statuæ ibidem extans C. Lauinij Conditorum Monumentũ ibidem.



Coloſſeæ Statuæ Truncus extans in Oppido Patricæ ante Aedes Principis. ex Ruinis Laurentiûm.

Alius Coloſseæ Statuæ Truncus extans in Oppido Patrica ante Aedes Principis. & ruinis Laurentiûm.

Virilis et Femineæ Statuæ Protome in Oppido Patrica extans, apud Aedes Principis & Ruinis Laurentiûm.



ciis ſuam originem derivatam, vere ne, an falſo, jactaſſe. quas primo Lavinii conſediſſe, in urbe ab Ænea fundata, neceſſe fuit. Quare ſingulas, quarum quidem memoriam apud veteres invenimus, vel curſim hic commemorare decrevimus.

Et primo quidem, *Saoniam* Gentem Lavinii floruiſſe, videtur ex Feſto *a* erui poſſe. Ait enim Feſtus, Saonem ex Samothracia cum Ænea deos Penates Lavinium tranſtuliſſe, ac Saliare genus ſaltandi primum Lavinii inſtituiſſe, a quo *Salii* ſacerdotes dicti ſunt. Verum de Saonis poſteris, Saoniaque Gente nihil præterea. *Nautiam* quoque Gentem Lavinienſem ex Nautio Æneæ comite propagatam, colligimus ex Dionyſio; *b* qui de Sp. Nautio Conſule loquens, *Familia*, inquit, *natus honeſtiſſima*; nam auctor ejus generis unus ex Æneæ ſociis fuerat. qui ſacerdos Minervæ in æde, in arce Ilienſi conſecrata, Palladium ſecum tranſtulerat, cujus cuſtodia manſit penes ſucceſſores *Gentis Nautiæ*. Quod ipſum Servius *c* & Feſtus confirmant. Ab Ægeſto etiam Æneæ pariter comite ac neceſſario, Gentem aliam, cui tamen ſcriptores nomen non faciunt, deſcendiſſe, credibile eſt. Cui cura Penatium Lavinio Albam Longam transferendorum ab Aſcanio demandata; quamquam ii bis reditum ad antiquam Lavinii ſedem, miraculo, feciſſe crediti ſint; ibidemque per ſexcentos viros ſacra eorum curata. *Servilia* itidem ab Servilio Trojano orta; de qua tamen, quod Albam cum Aſcanio commigraverit, inter Albanas opportunior ſermo redibit. Hujus Familiæ, Romæ deinde illuſtris, exhibet Vaillantius *d* nummos viginti ſeptem; de quibus ſuo loco agendum. *Gigania* ſimiliter, quam etiam *Geganiam* dixere, ad Gyam Trojanum & Trojanæ navis ductorem ſua exordia referebat. quod Virgilius, &

a *v. Salii.*

b *Lib. 6.*

c *Serv. ad lib. 2. & 5. Æneid. Feſt. lib. 12.*

d *Tom. 2. Famil. Rom.*

a *Lib.* 5. *v.* 118. poſt illum Servius *a* ejus interpres, diſerte aſſeruit, ad illum verſum:

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram.

Hæc ad ſupremum uſque inter ordinarios Magiſtratum obeundum, ſcilicet Conſulatum, Romæ pervenit. Verum & ipſa inter Albanas eſt computata. Sic *Cluentiæ*, Romæ pariter illuſtri, principium fecit Cloanthus navis ductor, Æneæ ſocius, eorumdem au-

b *Ibid. v.* 122. ctorum teſtimonio *b*:

-- -- -- *Scyllaque Cloanthus*
Cærulea: genus unde tibi, Romane Cluenti.

Hujus familiæ fuiſſe credimus Aulum Cluentium Habitum, pro quo nobilis exſtat M. Tullii Ciceronis Oratio. Quamvis enim Cluentium Tullius ex municipio *Larinati*, honeſtiſſimo loco natum, ſcripſiſſe videatur; quod Tulliana exemplaria *Larinatem* communiter præſeferant; putamus nihilominus non vana conjectura adducti, legendum ibi eſſe *Lavinatem*, ita ut non de *Larino* Campaniæ Felicis oppido, ſed de *Lavinio* antiquiſſimo Latii municipio Cicero intelligendus ſit. Ceterum & Familiam *Sergiam* Lavinii originem ab Sergeſto Æneæ ſocio traxiſſe, Virgilius & Ser-

Ibid. v. 121. vius, pariter auctores ſunt, eo verſu:

Sergeſtuſque, domus tenet a quo Sergia nomen.

Hujus Gentis unicum nummum exhibet Vaillan-

c *Tom.* 2. *Fam. Rom.* tius *c*, Marii Sergii Sili, filii alterius Sergii, cui prænomen idem atque cognomen fuerat. *Sili* autem dicebantur, ſi Feſto credimus, qui naſo ſurſum repando erant. In antica nummi facie caput eſt Romæ galeatum, cum literis: EX S.C. ROMA. in poſtica vero, figura equeſtris, habenas equi dextera, ſiniſtra autem abſciſſum hoſtile caput, & gladium tenens cum notis: Q. M. SERGIVS SILVS. ſcilicet: *Quæſtor Marcus Sergius Silus*. Porro M. Sergius Silus, qui de-

na-

narium cudit, filius fuit M. Sergii Sili, militari fortitudine clariſſimi; cujus egregias res bello geſtas, ex ejuſdem Oratione, Solinus ita deſcribit *a*. *Poſt hunc*, inquit, *M. Sergius duobus ſtipendiis, primo, adverſo corpore ter & vicies vulneratus: ſecundo ſtipendio, in prælio dextram perdidit; qua de cauſſa ferream ſibi manum fecit: & quum neutra pene idonea ad præliandum valeret, una die quater pugnavit, & vicit ſiniſtra, duobus equis eo inſidente confoſſis: ab Annibale bis captus refugit; cum viginti menſibus, quibus captivitatis ſortem perferebat, nullo momento ſine compedibus fuerit & catenis: omnibus aſperrimis præliis, quæ tempeſtate illa Romani experti ſunt, inſignitus donis militaribus, a Thraſymeno, Trebia, Ticinoque, coronas Civicas retulit: Cannenſi quoque prælio, de quo refugiſſe eximium opus virtutis fuit, ſolus accepit coronam.* Itaque, M. Sergius pater ob tot bellicæ virtutis monumenta quin ab Senatu Equeſtri Statua donatus fuerit, non dubitamus. quam filius ejus M. Sergius Silus, Quæſtor, U. C. anno ſexcenteſimo quinto aut ſexto, in patris memoriam, hoc cuſo nummo, repræſentavit. Conjecturam ſtabilire videntur literæ: EX S.C. appoſitæ. quæ certe ad ipſam Equeſtrem Statuam ſpectabant, erectam ſcilicet Sergio patri ex Senatus Conſulto. quod pro denario ſignando opus minime erat. Ceterum M. Sergius filius nullum alium, poſt Quæſturam, Magiſtratum objiſſe legitur. Hic reliquit filios duos; minorem prænomine *Marcum*; majorem, *Lucium*, qui Lucii Sergii Catilinæ pater fuit. Gens Sergia inter Romanas Patricias numerabatur. Porro Mneſtheus Trojanus ex Æneæ comitatu *Memmiis* Romanis nomen feciſſe traditur. Virgilius *b*:

Mox Italus Mneſtheus; genus a quo nomine Memmi.

Quod Poetæ Interpretes, & Romanarum Familiarum Recenſitores adprobarunt. Septem hujus Gentis

a *Cap.* 6. *Polybiſt.*

a *Lib.* 5. *v.* 117.

[a] *Tom. 2. Rom. Famil.*

nummos Vaillantius [a] exhibet. Quos breviter hic innuimus. In primo enim eſt caput Jovis in area, cum literis S. C. ex averſa parte, navis cum notis L. MEMMI. ROMA. S. ideſt *ſemis*. In ſecundo; caput Apollinis laurea inſignitum; retro, Caſtor & Pollux ſtantes, cum haſtis; ad utriuſque latera equus; & ſtella ſuper eorum capita, cum ſiglis L. MEMMI. In tertio; caput Saturni laureatum; pone quod falx, & literæ ROMA; averſo, figura bigis triumphalibus invecta, cum Victoria volitante; literæ L. MEMMI GAL. cognomen *Galli* a colore candido impoſitum apud Romanos, memorant; ex Græca origine γάλα, quod eſt *lac*, derivatum. ſi tamen a *Gallis* populis mutuatum non fuerit; quod mihi veriſimilius multo fit. In quarto Memmiæ Gentis nummo idem Saturni caput & falx exhibetur; literæ EX S. C. in averſo, figura in bigis triumphans, Victoria volitante; notæ L. C. MEMIES. L. F. GAL. in quibus Memmii nomen depravatum ab excudente fabro fuiſſe non dubitamus. Nummus quintus caput Cereris habet, ſpicea corona ornatum, cum literis C. MEMMI. C. F. & parte averſa, trophæum; ad cujus imum captivus in genua, ſupra ſcutum, manibus ad tergum revinctis; notæ, C. MEMMIVS. IMPERATOR. In ſexto caput Quirini laureatum cernitur; pone quod, vox QVIRINVS. in averſo, Ceres ſedens, colum, ſive ſceptrum, & ſpicas manibus gerens; pro pedibus ſerpentem, ſive mavis caput anſeris habens, cum notis circa: MEMMIVS AED. CERIALIA. PREIMVS. FECIT. In ſeptimo, denique, caput Neptuni laureatum habetur; pone quod, tridens. Legitur: C. MEMMIVS. TAVRVS. PR. COS. retro, Victoria coronam imponens trophæo proræ impoſito; in qua hinc temo,

inde

inde anchora inverſa. quæ res maritimas præclare geſtas a C. Memmio ſatis oſtendunt. Horum vero nummorum omnium exactam interpretationem, quæ nimis hic longa foret, ac ſupervacua, deſiderantibus, Vaillantius ipſe adeundus erit. Ceterum Gens Memmia Romæ Plebeja fuit. *Juniam* quoque Gentem ab uno ex Æneæ ſociis inſtitutam Dionyſius refert; quam proinde, utpote Lavinii primum inceptam, merito inter Lavinienſes computamus. Attamen, quod Lavinio Albam commigrarit, inter Albanas melius recenſebimus. Celeberrima hæc fuit Brutorum parens patriæ libertatis amantiſſimorum, fortiſſimorumque aſſertorum. Hujus Gentis Vaillantius ſeptem ſupra quadraginta cuſos nummos, præclara illuſtriſſimarum rerum ab Juniis geſtarum monumenta, recenſuit. *Aciliam* quoque Gentem Romæ Senatoriam ab uno ex ſociis Æneæ deductam, Urſinus *a* tradidit; quam Albæ deinde conſediſſe memorat. ac proinde nobis inter Albanas eſt recenſenda. Hujus Familiæ decem cuſos nummos Vaillantius protulit, alibi recenſendos. Sed & *Tarquitiam* Gentem, Laurento oriundam aliqui, ex cognomine *Laurentini*, quod ex Tarquitiis nonnulli aſſumſerunt, non immerito exiſtimarunt. Hæc in Patriciam & Plebejam Romæ dividebatur. Et Patricii quidem cognomine *Flacci*, quos inter L. Tarquitius Flaccus in Tabulis Capitolinis Magiſter Equitum recenſetur. Plebeji cognomine *Laurentini*, in quibus M. Tarquitius Tribunus Plebis U. C. CCLXVIII. aut IX. Nomen prius *Tarquinius* illis erat. Et ex infima plebe prius fuiſſe videntur *b*, ex Dionyſio; ſed Cives facti Tarquiniorum nomen, quod cum Regibus exſulabat, depoſuiſſe; *Tarquitii* exinde appellati. Tres nummos Gentis Tarquitiæ Vaillantius *c* exhibet; & duos quidem pene conſimiles. In primo, caput Junonis Mo-

a *De Fam. Rom.*

b *Lib.* 5.

c *Tom.* 2. *Fam. Rom.*

ne-

netæ, cum monili, & inauri. Literæ: C. ANNI. T. F. T. N. PRO. COS. EX. S. C. in averſo mulier in bigis, cum flagro. notæ: C. TARQVITI. P.F. in area Q. ideſt *Quæſtor*, ſcilicet Cai Anii Proconſulis. In ſecundo nummo eædem literæ ac figuræ; niſi quod caput Junonis non vitta, ſed quadam quaſi galea cinctum cernitur; & mulier in bigis pro flagro palmam manu tenet. De hoc Tarquitio Julius Obſequens, & Salluſtii fragmenta meminerunt. Tertius nummus Græcus eſt, neque unius interpretationis. Mihi ſatis, illum recenſuiſſe fuerit. Habet ergo caput Neronis laureatum cum notis: ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ſcilicet: *Nero Claudius Cæſar Auguſtus*. in averſo, ara ignita. literæ: Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΙΣΚ. ΕΞ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΠΡΑΤΤΟΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. nempe: *Marco Tarquitio Priſco Poteſtatem Proconſularem faciente. Nicæenſes*. Hujus nummi uberiorem explicationem qui cupiat, Vaillantium adeat, qui varias ſuper eo interpretum ſententias diligenter recenſuit.

Jam vero *Cominiam* Gentem Laurentinam fuiſſe cognovimus ex Plutarcho *a*. Ex ea Cajum Cominium floruiſſe, cujus antiquus Lapis meminit apud Ligorium, probabile eſt. ubi ſic legitur *b*:

a *In Parallel.* c. 65.

b *Ligor. v. Tribu Eſquilina.*

C. COMINIO AESQ. CARO
VII. VIRO. EPVLON. FLAMINI. ANTONINIANO
VI. VIRO. AVGVST. PRAEF. CEREAL
PRAEF. ANONAE. KARAE. PROCVR
PROVINCIAE. CRETAE. X̄X̄. HERED
IĪ. VIRO. IVR. DICVND. PATRON. CORP. PISTOR
IIIĪ. VIRO. QVINQVEN

Antiquam pariter Familiam *Fabatiam* Laurentinam nominat Lapis alius Via Ardeatina Laurentina repertus, fortaſſe in hujus Gentis Fundo Laurentino, his notis *c*:

c *Ligor. v. Fabatiano.*

L. FA-

L. FABATIVS. L. F. PONTINA
LAVRENTINVS. FABATI. AVSTI. FILIVS

Denique *Chalibia* Familia, Equeſtris, fuit Laurentina. quod patuit ex Termino in Villa hujus Familiæ detecto, in quo Publius Chalibius *a* Equitem ſe Laurentinum, Ligorii teſtimonio, profitebatur.

a *v. Chalibiano.*

FINIS LIBRI DECIMI.

VE-



VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER UNDECIMUS

DE OSTIENSIBUS,

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Conditore, Situ, & Appellatione Urbis Oſtiæ.

ECCE jam ad Veteris Latii fines, qua Occidentem Solem ſpectat, deſcribendos, narratione pervenimus. Oſtia, inquam, Tiberina; quorum circa regionem ut luſtremus, Laurentinis modo abſolutis, continuata locorum ipſorum ſeries expoſcit. Itaque Laurentinum littus ab Oſtienſi excipitur; quod ab Urbe ſacris olim profaniſque monumentis celeberrima *Oſtia* appellata, nomen deſumſit. Hanc primum ædificaſſe Ancum Marcium, Romanorum Re-

gem quartum, unanimis est veterum Scriptorum consensus; cum antea importuosum littus omne Latinum foret, si parva fluminum ora excipias, quibus veteres illi simpliciores homines, exiguo contenti, parvoque beati, pro portubus utebantur. Pyrrhus quidem Ligorius *a*, ex fragmentis veterum Lapidum eruisse scripsit, locum ubi Ancus Ostiam condidit, Τύμβον (quod est *sepulcrum*) antea fuisse appellatum. Verum, cum nec ipsos Lapides proferat, neque ullius antiqui scriptoris testimonio singularem hanc suam sententiam confirmet Ligorius; hujusce rei fides tota penes ipsum esto. De Ostiæ autem urbis ab Anco Rege ædificatione, hæc sunt nobilissimorum veterum Scriptorum Latinorum pariter & Græcorum clarissima testimonia. In primis Livius, *b* *Nec urbs*, inquit, *tantum Anco Rege crevit, sed etiam ager finesque. Silva Mœsia Vejentibus ademta: usque ad mare imperium prolatum, & in ore Tiberis Ostia urbs condita: salinæ circa factæ.* Dionysius *c* vero, latius, ut assolet, hoc ipsum narratione complexus, & situm ipsum urbis, & condendæ causas, conditæque utilitatem multiplicem his verbis, si Latina pro Græcis accipias, persecutus est. *Est & alterum ejus* (Anci Marcii Romanorum Regis quarti) *Civile factum, priore illo præstantius; quod urbem non modo cunctis vitæ commodis locupletavit, sed etiam ad res majores capessendas incendit. quippe, cum Tiberis amnis, ex Appenninis montibus præter ipsam urbem defluens, & in importuosa ac continua littora, quæ Tyrrhenum efficit pelagus, se se exonerans, non magnopere urbi prodesset, (quod nullum haberet circa Ostium, Castrum quod naves tum e mari adpellentes, tum per fluvium descendentes acciperet, redderetque negotiatoribus) alioqui usque ad fontes fluvialibus scaphis mediocribus pervius; usque ad Urbem vero etiam magnis marinis onerariis*

a *v. Tymbo.*

b *Lib. 1.*

c *Dionys. l. 3. Antiq. Rom.*

rariis navigabilis; decrevit navale ad ejus ostium condere; pro portu, usus ore ipsius amnis. Panditur enim in latum, qua se in mare effundit; sinusque comprehendit amplos: haud secus ac maritimorum portuum optimi. Et, quod maxime mireris, ostium ejus non præcluditur, nec obturatur adgesta e mari arena; quod multis etiam magnis fluviis accidit: neque per paludes & voragines oberrans absumitur, priusquam ad mare perveniat. Sed perpetuo navibus est meabilis; per unum nativum ostium mari se ingurgitans, & dorsa sub alto adsurgentia diverberans: quamvis vehemens ibi ventus crebro ab Occidente spirare soleat. Itaque remigio instructæ naves quantumvis magnæ, & ex onerariis vel ter millenariæ per ostium ejus intrant, & Urbem usque remigio ac funibus pertrahuntur. Majores autem, ante ostium, in salo firmantur anchoris; exonerantur que inde navigiis fluvialibus. Ceterum, qua, inter flumen & mare, locus in cubiti speciem curvatur, oppidum Ancus munivit; quod a re ipsa Ostiam appellavit. Θύραν *nos Græci diceremus. effecitque, ut Roma non mediterraneis tantum, sed etiam marinis patens, transmarina quoque bona degustaret.* Quibus Dionysii verbis scite admodum & graphice locus urbis Ostiæ describitur. Ceterum, ventus qui ab Occidentis Solis plaga spirare sæpe contra Tiberis se se in mare volventis ostium, memoratur a Dionysio, is est qui, exitu aquarum fluminis impedito, exundare illud ex alveo, humilioraque Romanæ Urbis loca inundatione pervadere, permagno Civium incommodo, toties coegit. Jam vero Strabo *a*, Dionysii ætate minor paullo, de urbis Ostiæ situ & Conditore sic habet: *In ora maritima Latinorum urbs est Ostia; importuosa, ob adgestionem limi, quæ fit a Tiberi multis amnibus aucto. itaque non sine periculo naves sublimes undis fluctuant. vincit tamen utilitas. nam actuariæ naves ad excipiendas e magnis navibus merces, & alio deportandas, magno numero præsto sunt. quibus efficitur, ut*

a *Lib.* 5.

naves priusquam ad Tiberim perveniant, celeriter subvehantur: ac parte oneris levatæ, per amnem adversum, Romam usque descendant, ad stadia CXC. Opus autem est Ostia Anci Marcii. Κτίσμα ὃ ἐστὶ τὰ Ὤστια Ἄγκυ Μαρκίυ. In quo tamen stadiorum numero mendum in Strabonis codices irrepsisse, mox ostendemus. De Conditore autem sic rursum Aurelius *a* Victor: *Ancus Marcius Rex Ostiam Coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in Ostia Tiberis deduxit.* Et Pompejus Festus ex Ennio: *Ut est apud Ennium:*

Ostia munita est. idem loca navibus pulchris
Munda facit, nautisque mari quæsentibus vitam.

Florus quoque: *Ancus Marcius Ostiam, in ipso maris fluminisque confinio, Coloniam posuit.* Ex quibus antiquis historicis, eosdem posterioribus sæculis secuti, idem memoriæ prodidere, Polybius, Eutropius, Cassiodorus, Eusebius, Auctor Olympiadum, Divus Hieronymus, Cedrenus, quorum testimonia singula eruditissimus Philippus *b* Cluverius accuratissime congessit, ac recitavit. Itaque de Ostiæ Conditore Anco Marcio, Rege Romanorum quarto, universim inter auctores convenit. Situm quoque urbis ipsius, quod scilicet ad mare condita fuerit, unanimiter omnes describunt. Quantum tamen ab Roma distaret, haud æque confirmant. Strabo namque in eo quod modo huc attulimus testimonio, centum illam ac nonaginta stadia, quæ antiqua Romana milliaria viginti tria cum stadiis sex conficiunt, Roma distasse perhibet. Ceteri passim, Ostia Tiberina sexdecim mille passus ab Urbe distare tradiderunt. Quorum veram esse sententiam, re ipsa compertum est. Proferam nihilominus singulos. Et primo quidem antiquæ Itinerariæ Tabulæ, Tabulæ item Itinerariæ Antonini sic habent. Antiquæ quidem: *Roma. Hostis XVI. Laurento XVI. La-*

vi-

a *Lib. de Vir. Illustrib.*

b *Ital. Antiq. lib. 3. p. 871. & seqq.*

vinium V. Antium XVII. Tabulæ vero Antonini ſic: *Roma. Hoſtis XVI. Laurento XVI. Lavinio XVI.* Quas Tabulas, quamvis corruptas plurimis locis eſſe, pugnanteſque ſecum frontibus adverſis, plane jam conſtet, in aſſignanda tamen urbis Oſtiæ, ſeu potius Oſtiorum Tiberinorum, ab Roma diſtantia, & ſecum invicem, & cum reliquis ſcriptoribus, & cum veritate, quæ una unica ſemper eſt, plane concordant. Plinius *a* enim, *Latium*, inquit, *ubi Tiberina Oſtia, & Roma terrarum caput, XVI. millium paſſuum intervallo a mari*. Et ex Plinio Marcianus *b*: *Umbri mox Latiumque atque Oſtia Tiberina. dehinc ipſa caput Gentium Roma. hæc a mari XVI. paſſuum millibus diſparatur*. Cedrenus vero in Annalibus: *Ancus Marcius Tiberim amnem apud Oſtia communiens, in ipſo ripæ ſupercilio conſtituit urbem, ad XVI. ab urbe Roma lapidem; quam a ſitu Oſtiam vocavit; quod Græce* Θύραν (ideſt *Oſtium*, ſeu *Januam*) *ſignificat*. Porro Cedrenus in Græcum Latina verba Divi Hieronymi traduxiſſe videtur, qui ſcripſerat: *Ancus Marcius ſupra mare, ſexto decimo ab Urbe milliario, Oſtiam condidit Civitatem*. Quare in Strabonis codice, exhibente σταδίους ρς', hoc eſt *ſtadia CXC.* mendum irrepſiſſe, planiſſime conſtat; & legendum ibidem σταδίους ρλ' *ſtadia CXXX.* ſatis evincitur. Sexdecim namque mille paſſus Romam a mari diſtare, ſi Tiberis curſum ſecundum ſequamur, certiſſimum eſt. Atque hoc quidem de ipſis *Oſtiis Tiberinis*, ſive de *Oſtio, ore*, & *faucibus* fluminis intelligendum eſt. Si enim de ipſa urbe *Oſtia* ſit ſermo; illam tribus mille paſſibus Romæ viciniorem, rudera ipſius adhuc exſtantia tertiodecimo ab Roma lapide, & auctores nonnulli affirmant. Siquidem ad rudera quod attinet; hæc viſuntur tria ferme milliaria ab littore, loco qui nunc quoque nomine pervetuſto *Oſtia* dicitur; cum ingentibus veterum

a *Lib.* I. *c.* 5.

b *Lib.* 6. *Deſcript. Ital.*

rum murorum veſtigiis, apud flexum amnis, quem ἀγκῶνα, ideſt *cubitum*, vocat Dionyſius. Unde etiam D. Hieronymus *a*, de ſua jam ætate, non vero de ſuperioribus, ut ſupra, ſæculis locutus, *Ancus*, inquit, *Marcius ſupra mare, tertiodecimo ab Urbe milliario, in ipſo fluminis mariſque confinio, Oſtiam Civitatem condidit.* Et Hieronymum ſecutus *b* Freculfus: *Ancus Marcius Romanorum Rex ſupra mare, tertiodecimo ab Urbe milliario, in ipſo fluminis mariſque confinio, Oſtiam Civitatem condidit.* Atque iiſdem pene verbis Altiſiodorenſis *c*, *Ancus Marcius*, inquit, *ſupra mare, tertiodecimo ab Urbe milliario, Oſtiam condidit Civitatem.* Quam tamen duplicem de urbis Oſtiæ ab Roma diſtantia ſententiam conciliare mihi cum veritate poſſe facile videor; ſi antiquum veteris celeberrimæ urbis Oſtiæ ſitum plura occupaſſe milliaria dicamus; ita ut pars urbis Romam verſus & Romæ propinquior tredecim tantum mille paſſus Roma ipſa diſtaret; ſexdecim vero pars remotior atque celebrior, quæque ad ipſa Tiberini fluminis Oſtia foret conſtituta; quam etiam partem primum ab Anco Rege conſtitutam, prolata hucuſque veterum teſtimonia dubitare neminem ſinunt. Rudera itaque adhuc exſtantia, tredecimque tantum antiquos mille paſſus ab Roma longinqua, quæ *Oſtia* dicuntur, pars, atque illa quidem exigua, veſtigiorum veteris urbis Oſtiæ ſunt; quæ ad tria ſaltem millia paſſuum, ad extremas uſque fluminis in mare ſe ſe devolventis fauces extendebatur. Cumque poſterioribus ſæculis, puta Divi Hieronymi, ac Freculfi ætate, noſtraque hac ipſa qua vivimus, Oſtiæ rudera tredecim tantum milliariis diſtarent, atque adeo diſtent ab Roma; hinc factum, ut auctores iſti, Oſtiam urbem tertiodecimo ab Roma lapide ab Anco ædificatam fuiſſe, ſcriptum reliquerint. Diſtare Oſtiam urbem

a *In lib. 1. Chronic. Euſeb.*

b *Chron. tom. 1. lib. 3. c. xv.*

c *Monach. Altiſiodor. in Chronic.*

urbem ab urbe Roma, ſive potius ipſa Tiberis Oſtia, a quibus urbs nomen eſt mutuata, quantum Aricia, vetus altera urbs Latii celebris diſtabat, memoravit Lucanus, his verſibus *a*:

a *Lib.* 6. *v.* 73.

Ac tantum ſepti vallo ſibi vendicat agri,
Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa nemoralis Aricia Roma:
Quoque modo Romæ prælapſus mœnia Tybris
In mare deſcendit, ſi nuſquam torqueat amnem.

Verum cum de ipſius Ariciæ ab Roma diſtantia variantes veterum ſententiæ fuerint; ſiquidem alii XIII. alii vero XV. aut XVI. mille paſſus diſtaſſe illam prodiderunt; nihil ex hoc Lucani loco certi, pro Oſtiæ urbis diſtantia ſtatuenda, colligi poteſt. Utrum enim Lucanus de ipſa Aricina Urbe, quæ milliaria tredecim, utrum de Nemore aut Lacu Aricino, quæ quindecim atque etiam ſexdecim mille paſſus Roma diſtabant, locutus fuerit hoc loco, plane non conſtat. Ceterum, etiam antiquiſſimis temporibus, & prima ſui origine, urbem Oſtiam tredecim milliariis ab Roma diſtaſſe, cenſuit Cluverius, aliquoſque ſcriptores *ſexdecim milliaria* ſcripſiſſe putavit; quod Oſtia Tiberina, ſive fauces Tiberis amnis, tantum diſtarent; a quibus, utpote celebrioribus, quæque urbi nomen dederant, ipſius Oſtiæ urbis diſtantiam computaverint. Verum hæc Cluverii ſententia ægre admodum ac nonniſi violenter ſcriptorum teſtimoniis a nobis huc prolatis aptari poteſt: cum aperte illi omnes Oſtiam urbem ad ipſa fluminis Tiberini ora, qua in mare ſe ſe exonerat, & ſupra mare ipſum ab Anco Marcio primum conſtitutam, unanimiter aſſeveraverint. Quare in mea ſententia confirmor; ut credam ſcilicet, Oſtiam urbem antiquitus cum ſuburbiis & navalibus, aliiſque ædificiis ac ſuburbanis villis totum

tum illud ſpatium occupaſſe quod eſt a ſiniſtro Tiberis ore ad uſque rudera antiquorum murorum quæ nunc quoque *Oſtia* dicimus. ita ut, ex diverſis urbis terminis, illa modo tredecim, ſexdecim modo, mille paſſus ab Roma diſtaſſe veriſſime dici potuerit. Ceterum Oſtiam urbem nomen ab Oſtiis Tiberis, ad quæ exſtructa fuit, traxiſſe, ex dictis hactenus, certiſſimum eſt. Illam autem veteres ſcriptores modo ſingulari numero *Oſtiam*, modo vero numero multitudinis *Oſtia*, atque adeo *Oſtia Tiberina* nominaverunt. Nam Tacitus *a*: *Dum ſacrificii gratia Claudius Oſtiam proficiſceretur*; & Plinius *b*: *Navem Claudius perductam Oſtiam, portus gratia merſit*. item Suetonius *c* in Claudio: *Quum profectum eum Oſtiam, periiſſe ex inſidiis nunciatum eſſet*. Et capite viceſimo: *Portum Oſtiæ exſtruxit*. & viceſimo quinto: *Oſtiæ cohortem ad arcendos incendiorum caſus collocavit*. Aulus Gellius quoque: *Cum eſſemus una omnes Oſtiæ*. Verum ab initio *Oſtia*, ſive *Oſtia Tiberina*, multitudinis numero, ipſa etiam urbs appellata fuiſſe videtur, ſcilicet ἀπὸ τῆς θέσεως, ut ait Euſebius, h. e. *a ſitu*, quia poſitum erat oppidum ad amnis bicornis πρὸς ἐκβολάς, ſive *exitus*, quæ Latino vocabulo dicuntur *oſtia*; perinde atque domorum conclaviumque ingreſſus & exitus *oſtia* appellantut. Hinc Ovidius: *d*

a *Annal. lib.* XI.
b *Lib.* 36. *c.* 9.
c *C.* 12.
d *Faſtor. lib.* 4.

Oſtia contigerat, qua ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Et paulo poſt:

Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Atria dixerunt: unde ſiniſter abit

Hinc Dio *d* quoque: Εἰς τὰ Ὤστια καταβῆναι. *Ad Oſtia deſcendit*. & Strabo pluribus locis τὰ Ὤστια, plurali numero, uſurpavit. Nam libro tertio: *Maximæ onerariæ naves Puteolos & Oſtia Romanorum navale appellant*. & libro quinto:

d *Lib.* 60.

La-

Latinorum regio ſita eſt inter oram maritimam, quæ ab Oſtiis ad Sinueſſam uſque protenditur, & inter Sabinum agrum. Sunt autem Oſtia urbis Romæ navale, in quod Tiberis effunditur, juxta Urbem delapſus. & aliquanto poſt: *Etruriæ longitudo maxima traditur eſſe a Luna ad Oſtia uſque.* & in Latii deſcriptione: *Nunc quidem omnis ora ab Oſtiis ad Sinueſſam Latinus ager vocatur.* ac deinde ſubdit: *Latinorum oppida maritima ſunt Oſtia & Antium; & in medio eorum Lavinium, tum Laurentum.* Ex tam conſtanti autem hujus nominis *Oſtia*, multitudinis numero appellatione, apud Strabonem, Cluverius, ubi apud eumdem vulgata exemplaria exhibent: Ἀπὸ τῆς Κοσσῶν εἰς Ὠστίαν. *Ab Coſſis ad Oſtiam.* & Ἀπὸ τῆς Πύργων εἰς Ὠστίαν. *a Pyrgis ad Oſtiam*; legendum omnino, εἰς Ὠστία, *ad Oſtia*, multitudinis numero, prudenti ſane conjectura, exiſtimavit. Ego vero nomen hujus urbis nunc ſingulari numero, nunc multitudinis, tum ab antiquiſſimis Latinis Græciſque ſcriptoribus, tum a poſterioribus ſubſecutis promiſcue ſemper uſurpatum, deprehendi. Nam ſupra ex Ennio, vetuſto ſane ſcriptore, habemus: *Oſtia munita eſt*; & ex Livio: *Oſtia urbs condita eſt.* Contra vero his poſterior multo Juvenalis multitudinis numero adhibuit, ſic: *a*

a *Satyr.* 8.

-- -- -- -- -- *mitte Oſtia, Cæſar,*
Mitte, ſed in magna Legatum quære popina.

Et Ammianus *b* Marcellinus: *Dum Tertullus*, inquit, *apud Oſtia in æde ſacrificat Caſtorum, tempeſtas mare mollivit.* Rurſus autem apud Procopium in Gothicis, ubi frequens hujus urbis mentio, ſingulari ſemper numero legitur ἡ Ὠστία. ubi tamen, librarii, vel ævi vitio, ut alia plurima, litera Ο μικρὸν poſita eſt pro Ω μέγα; quam Græci veteres idcirco in hoc vocabulo poſuere, quia in voce *os oris*, unde *oſtium* deductum, ea litera Latinis eſt longa. Porro ex verbis Strabonis il-

b *Lib.* 19.

lud etiam plane colligimus, Vetus Latium, immo etiam Novum, ex hac parte fines ſuos apud Oſtia Tiberina conſtanter, omni prorſus ætate, habuiſſe, quibus ab Etruria dividebatur. quamvis ad Orientalem plagam, Veteris Latii terminus Circejum promontorium fuerit; Novi vero Formianum, atque etiam Sinveſſanum littus. Urbis Oſtiæ cives *Oſtios*, & *Oſtianos*, ſive *Oſtiates*, apud Græcos nominatos, memorat Breviator Stephani, ſic: *Oſtia oppidum Italiæ. Juba in primo Hiſtoriæ Romanæ: A Septemtrionalibus partibus eſt Tiberis; & prope hunc Oſtia oppidum. Et Polybius libro ſexto: Condidit etiam urbem Oſtiam, apud Tiberim. Gentilitium inde dici poteſt Oſtianus, & Oſtiates. Phlegon autem Oſtios eos vocat. Occupavit, inquit, Oſtiorum urbem. At Strabo libro tertio neutro genere ſic dixit: Oſtia Romæ navale.* Quibus tamen ex Phlegontis verbis male Breviator colligit, cives urbis Oſtiæ a Phlegonte *Oſtios* appellatos; cum Phlegontis verba: Παρέλαβε τὴν Ὠστίων πόλιν, *occupavit Oſtiorum urbem*, optime de urbe *Oſtiis* appellata, ſive ad Oſtia Tiberis ſita, intelligi poſſint ac debeant; non vero de Civium, qui *Oſtii* dicerentur, urbe. Latini certe ſcriptores omnes *Oſtienſes* urbis hujus cives ſemper appellaverunt. Quamvis autem originem nominis urbis Oſtiæ, quam cum vera ſimul innuit Iſidorus, ab *Hoſte* deductam, quod ſcilicet urbs hæc ad *Hoſtium* impetus propulſandos & morandos, ne Romam per Tiberim impune venirent, minime compertam habeamus; non tamen aſſentimur Cluverio, qui ut hanc Iſidori originem ridendam & falſiſſimam probet, nomen *Oſtiæ* urbis per adſpirationem H, ſic, *Hoſtia*, ſcriptum numquam, & nuſquam reperiri, confidenter nimis, ac falſo aſſeruit. Siquidem & Itinerariæ Tabulæ duplices jam prolatæ habent *Hoſtis* cum adſpiratione, &

ſuo

ſuo loco, Lapides vetuſtos proferemus, in quibus *Hoſtia* & *Hoſtienſes* conſtantiſſime cum adſpiratione pariter inſcripta leguntur.

CAPUT SECUNDUM.

De Portu Oſtienſi.

EX iis quæ hactenus de urbis Oſtiæ ſitu, Conditore, ac nomine memoravimus, incertum fit quam maxime quo potiſſimum tempore *Portus Oſtienſis*, qui & *Portus Romanus*, & *Portus Romanorum*, & *Romæ*, & *Urbis*, & *urbis Romæ*, & *Portus Phari*, *Portus Auguſti*, *Portus Claudii*, *Portus Neronis*, *Portus Trajani*, ac denique ſimpliciter, ob excellentiam, *Portus* tantum, ſine addito, appellatus eſt, quo, inquam, tempore potiſſimum fuerit primo conſtructus, atque munitus. Quamvis enim ex antiquis ſcriptoribus, Dionyſio præſertim, atque Ovidio, erui poſſe videatur, priſcis temporibus, uno tantum alveo atque adeo oſtio Tiberim aquas in mare devolviſſe; quod Dionyſius: δι' ἑνὸς ἐκδῦναι τῷ γνησίῳ ϛόματος: *uno*, ſcilicet, *genuino ac germano oſtio*, effundi hunc fluvium memoraverit; nihilo tamen minus, certum habemus, vel ipſa Anci Marcii, qui Oſtiam urbem fundavit, ætate, duos Tiberi alveos, atque duo oſtia, quibus in mare ſe ſe exonerabat, jam tunc exſtitiſſe. Siquidem Ancus Oſtiam urbem in ſiniſtro Tiberis oſtio conſtituiſſe, ab omnibus traditur. unde liquet, dextrum quoque aliud, flumini, vel tunc, fuiſſe oſtium. Deinde vox ipſa *Oſtia Tiberina*, multitudinis numero uſurpata, plura ea fuiſſe ſatis oſtendit. Ovidius vero diſerte duo fluminis oſtia diſcrevit; dum inquit *a*:

a *Lib. 4. Faſt.*

Oſtia contigerat; qua ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

& aliquanto poſt:

Fluminis ad flexum veniunt. Tiberina priores
Atria dixerunt; unde ſiniſter abit.

Ceterum Dionyſius, dum uno genuino ac germano oſtio Tiberim in mare devolvi dixit, nil aliud ſane, ut vera proferret, intelligere potuit, quam unum potiſſimum, profundius nempe, ac portu duplici deinde munitum, dextrum oſtium, ac latus fluminis; cum ſiniſtrum, minus profundum, ac nullo jam portu auctum, ignobile, ac nullius pene navigationis foret. Ceterum quo primum tempore diviſio illa alvei atque aquarum Tiberinarum facta fuerit; num etiam natura, num arte ac molibus procurata, minime conſtat.

Illud quidem ſatis novimus, utrumque alveum a Romanis muro aliquando hinc atque inde munitum, & ad dexterum fluminis latus (non tamen in ipſo alveo, quod falſo multi crediderunt) Portum magnificentiſſimi operis excitatum fuiſſe. Cujus monumenta jam exſequemur. Itaque, ad Julii Cæſaris uſque tempora, uſi ſunt Romani Oſtiis Tiberinis ambobus promiſcue, ac lævo præſertim, in quo Oſtia Colonia, Anci Marcii Regis opus. Julius, vero, Cæſar, ex Plutarchi teſtimonio, proximo Romæ mari clauſtra adgeribus imponere inſtituit; cæcumque & importuoſum Oſtiæ littus repurgare; ac portus ibi moliri, & navalia, quæ tantæ ſufficerent navigationi. Verum, licet hoc opus Julius Cæſar ſæpius mente agitaſſet, omiſit tamen ſemper; ingentem, ac pene inſuperabilem ob difficultatem. Claudius autem Cæſar Romanorum Imperator ab Julio quintus Romanum Portum (quem tamen primo *Oſtienſem*, ab oſtio

Ti-

Tiberis, & Oſtiæ urbis vicinitate, nominatum legimus) ingenti mole excitavit, atque perfecit. De illo Suetonius *a*: *Opera magna potius, quam neceſſaria, quammulta perfecit. ſed vel præcipua, aquæductum a Cajo inchoatum; item emiſſarium Fucini lacus, Portumque Oſtienſem. quamquam ſciret, ex his alterum ab Auguſto precantibus adſidue Marſis negatum; alterum a divo Julio ſæpius deſtinatum, ac propter difficultatem omiſſum.* & mox: *Portum Oſtiæ exſtruxit, circumducto dextra ſiniſtraque brachio: ad introitum profundo jam ſalo, mole objecta. quam, quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus Obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus. Congeſtiſque pilis, ſuperpoſuit altiſſimam turrim, in exemplum Alexandrinæ Phari; ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent.* His conſona Plinius *b* protulit; ubi enim ejuſdem Claudii aquæductum, & Fucini lacus emiſſarium, & alia ſummæ admirationis, maximique ſtuporis opera memoravit; *Nam*, inquit, *Portus Oſtienſis opus prætereo.* At libro ſextodecimo *c* ſic antea ſcripſerat: *Abies admirationis præcipuæ viſa eſt in navi quæ ex Ægypto, Caji Principis juſſu, Obeliſcum in Vaticano Circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſuſtinendum eum advexit. qua nave nil admirabilius viſum in mari, certum eſt. CXX. millia modiûm lentis pro ſaburra ei fuere. longitudo ſpatium obtinuit, magna ex parte, Oſtienſis Portus, latere læve. ibi namque demerſa eſt a Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine, in ea exædificatis; ob id ter Puteolano pulvere advecto. Arboris ejus craſſitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat.* Et ipſo libro ſexto *d* & trigeſimo, *Divus Claudius*, inquit, *navem aliquot per annos adſervatam, qua Cajus Cæſar importaverat Obeliſcum, omnibus quæ unquam in mari viſæ ſunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere ædificatis, perductam Oſtiam Portus gratia merſit.* Ne cui tamen fu-

a *In Claud.* c. 20.

b *Lib.* 36. *c.* 15.

c *Cap.* 40.

d *Cap.* 9.

cum

cum faciant ſuperiora illa Plinii verba: *Longitudo* (navis) *ſpatium obtinuit, magna ex parte, Oſtienſis Portus, latere lævo; ibi namque demerſa eſt a Claudio Principe*; quaſi his verbis Plinius Oſtienſem Portum a Claudio munitum, ad lævum Tiberis alveum ſive oſtium, ſcripſerit. namque nihil minus. Verum ait Plinius, in dextero Tiberis alveo, atque adeo oſtio, parte læva, eam navim demerſam fuiſſe, Portus gratia. Dio vero de rebus Claudii locutus, hæc de Portu Oſtienſi ab eodem munito memoravit: *Fame ingenti exorta, non modo ad præſens tempus copiæ alimentorum, verum in perpetuum etiam proſpexit. frumentum quippe quo Roma utitur, omne propemodum aliunde advehitur. at cum loca circa Oſtia Tiberis neque tuta adpellendis navibus eſſent, neque portus opportunos haberent; fiebat, ut maris dominium parum Romanis prodeſſet: cum præter ea quæ æſtate ſubveherentur conderenturque in granariis, hieme nihil ſupportaretur: ac ſi quis hoc tentaret, magno ei ſtaret periculo. Id intelligens Claudius, Portum ibi inſtruere conſtituit. Quumque architecti interrogati, quanti ſumtus in id opus futuri eſſent, tantos reſpondiſſent, quantos ipſe facere nollet; ſperantes, impendii magnitudine audita, ipſum a propoſito deſtiturum; nihil deterritus, rem in animum induxit, perfecitque, magnanimitate ac potentia Romana dignam. Ecfodit humum haud exiguo ſpatio; ambitumque omnem crepidine lapidum firmavit; ac in eum locum mare accepit. deinde ex utraque hujus loci parte adgeres in ipſo mari magnos jaciens, multum maris iis complexus eſt, inſulamque ibi effecit; impoſita turri, unde noctu ignes emicantes ſignum navigantibus darent. Idque opus ita ab eo exſtructum, incolarum lingua,* Portus *hodieque vocatur.* Conſtat igitur perſpicue ſatis, Claudium Imperatorem Portum Oſtienſem excitaſſe ac muniſſe. Quare ergo hic Portus, etiam *Portus Auguſti* appellatus eſt? Nimirum, quia poſt Octavium Augu-

gu-

guſtum, Romani Imperatores omnes *Auguſti* ſunt appellati. Unde etiam Portus Claudii Cæſaris, *Portus Auguſti* vocari potuit. Nam, quod Horatii interpretes aliqui meminerunt, Octavium Auguſtum excitaſſe Portum Oſtienſem, falſum id omnino coarguitur ab eruditis Antiquitatis ac veritatis veſtigatoribus. Ajebant interpretes ad ea Horatii carmina in arte Poetica *a* :

a *v.* 63.

Debemur morti nos noſtraque: ſive receptus
Terra Neptunus claſſes Aquilonibus arcet,
Regis opus; ſteriliſque diu palus aptaque remis
Vicinas urbes alit: & grave ſentit aratrum:
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt.

Ajebant, inquam, interpretes, Auguſti hic a poeta opus innui, in Oſtienſi Portu exſtruendo collocatum; atque hoc ſibi velle, *Neptunum terra receptum claſſes arcere Aquilonibus*. perperam tamen. cum ibi certiſſime locutus ſit Horatius de Portu quem Auguſtus Cæſar in Lucrino Avernoque lacubus, ad Campaniæ littora, prope Bajas, magnis molibus ædificaverat; aut de Portu Ravennati, qui proprie Aquilones proſpectat, & ſubmovet. Cur autem, dicet aliquis, Nero Cæſar nummum cudi juſſit, in cujus adverſa facie caput ipſius laureatum cernitur, cum literis: NERO CLAVD CAESAR AVG P M TR P IMP PP. ſcilicet: *Nero Claudius Cæſar Auguſtus, Pontifex Maximus, Tribuniciæ Poteſtatis, Imperator, Pater Patriæ*. In averſa vero nummi parte Portus rotundæ figuræ repræſentatur cum figura Tiberis fluvii ſedentis, vel melius, Portumni portuum dei, ſeptemque diverſæ ſtructuræ navium, cum Statua erecta ſupra baſim, forte Claudii Imperatoris; munimenta quoque ſive brachia, rotundum in ſpatium, concluſum mare ambien-

bientia? cum literis infra: S. POR. OST. C. ſupra vero: AVG- VSTI. nempe: *Auguſti Portus Oſtienſis. Senatus Conſulto?* Cur, inquam, Nero tantum eſt auſus? ut celeberrimi hujus operis gloriam deceſſori Claudio ademtam ſibi tribuerit; haud ſatis perſpicuum id quidem eſt. Si tamen prudenti locus ſit conjecturæ; dicendum videtur, perfeciſſe Neronem hunc Portum, eique ſummam contuliſſe manum. Unde gloriari ſe poſſe, quaſi de toto confecto opere, ſibi viſus fuerit. Vel etiam, nihil deceſſoris Claudii gloriæ auferre ſe putaviſſe, ſi cuſo nummo ejus Portum repræſentaſſet. quamquam enim in adverſa nummi facie ſuam ipſe Nero imaginem expreſſerit; cum nihilominus in averſo Portum ipſum Claudii, cum notis, *Auguſti Portus Oſtienſis*, exhibuiſſet; ſatis oſtendiſſe, Claudii deceſſoris opus celeberrimum eo nummo repræſentari. Itaque in hoc etiam nummo vox *Auguſti* non ad Octavium Cæſarem, qui primus eo nomine tanquam proprio eſt vocatus, referri, verum ad Claudium Imperatorem, certiſſimum eſt.

Trajanus quidem Imperator Claudii Portum poſtea inſtauravit; interioremque alium, tutiorem multo, ſui nominis, fecit. quod & vetus Lapis, Romæ olim proſtans, & a Cluverio relatus, refert; & nummus æreus, apud *a* Ortelium, in quo Trajani Imperatoris effigies cernitur; poſtica vero parte, Portus Romanus inſtauratus, & interiore auctus. ea, commodum, figura, qua nunc quoque, licet in ruinis jacens, attentius inveſtigantibus, fuiſſe deprehenditur. Porro Lapis a Cluverio relatus, ſic habuit:

a *In Theſ. Geographic.*

SA-

SALONI. CARPI. M. F
SALONIAE. EVTERPE
SACERDOTI. M. D. M. PORT. AVG
ET TRAIANI FELICIS PATRONAE
SVAE OPTIMAE. BENE MEREN
TI. FECIT. ET SIBI. ET. SALONIO
D. HERMETI. SALONIO. DORAE. SA
LONIAE. TERTIAE. ET EOR. FILIS
PARS. DIMIDIA. INTRANTIB.
LAEVA

M. CVRTIVS RVSTICVS
TIBICO. M. D. M. PORTVS
AVG. ET TRAIANI. FELICIS
FECIT SIBI ET CVTIAE THE
ODOTE ET LIBERTIS LIBER
TABVSQ. POSTERISQ. EORVM M.
PARS. DIMID AD DEXTRAM

Siglæ illæ M. D. M. *Magnæ deum matris*, utrobique ſignificant.

Porro, Portus utriuſque, tum Claudii, tum Trajani, hanc fuiſſe olim, dum floruerunt, imaginem, ex peritiſſimis Antiquitatis veſtigatoribus accepimus. In Orientem Solem ſpectantibus habuit Portus Claudii proximam Inſulam Sacram, de qua mox plura. In Septemtriones Continentem reſpexit. In Occidentem vero, Meridiem atque Auſtrum, Tyrrhenum mare, moleſque in eo jactas, ad ipſum Portum muniendum, atque claudendum. Proxime Claudium Portum, interior fuit Portus Trajanus; in quem per aquæ marinæ alveum, ſive ſinum, fluminis inſtar excavatum, muriſque hinc atque inde munitum, ab Claudii Portu intrabatur. Claudiani Portus figura rotunda in ovalem vergens. huic in ſiniſtro latere magnificentiſſima quondam ædificia impoſita; longæque, atque eximiæ ſtructuræ porticus, quæ Auſtrales impetus exciperent ſimul ac frangerent. in dextro autem, moles frequentibus diſtinctæ fornicibus, jactæ in altum; ad hoc, ut fluctuans mare ſine impetu illis allideretur; quando per fornicum foramina liberum ſemper iter, quo ſe ſe effunderet, inveniret. Latus inter utrumque, in medio, ad claudendum ſpatium Portus, moles triangularis, quæ duos in ipſum Portum aditus, dextra læ-

vaque efficiebat. Huic altiſſimæ Statua Claudii Cæſaris impoſita, ſtans Coloſſi magnitudine, utpote quæ ad pedum centum viginti altitudinem extolleretur. Hujus e regione, qua ſinus ad Trajani Portum aperiebatur, altera fuit Statua Tiberis quidem, ut Neronianus nummus repræſentare videtur; Palemonis autem ſive Portumni cum marino Cœtu, ſicuti Ligorio viſum. Cujus etiam ſententiæ ſuffragari poteſt, quod ad ſiniſtram hujus Statuæ Delphin appingitur; marina certe ſuppellex, melius, quam fluviatilis. quamquam gubernaculum, in dextera figuræ manu appoſitum, & flumineum deum & marinum æque bene potuerit repræſentare. ſimile enim eſt inſtrumentum illis quibus fluminum Statuas ornari conſueviſſe antiquitus, paſſim videmus. Ceterum Trajani Portus ſexangularis figuræ fuiſſe videtur; circa quem Fora quinque totidem ad angulos; at vero ad ſextum, oſtium ipſum marini ſinus & alvei Portu Claudio, per obliquos paſſus quadraginta erumpebat. Circa Fora, Porticus, Apothecæ, Horrea, Telonia, Diverſoria, ceteraque hujuſmodi publica & privata ædificia. Tranſeuntibus vero ex uno ad aliud ex his Foris portæ ingentes ſubeundæ erant, munitiſſimarum arcium inſtar. Ante domos privatas & diverſoria viæ perpulchræ; aræ etiam ante complura templa, ibidem multo opere exædificata; de quibus poſtea. Jam vero, ad dexterum ſinus, ſive alvei marini, latus, locus erat ſexangularis, aut octo angulorum figuræ, quod plane ſtabiliri, nimiis ex ruinis, a veſtigatoribus minime potuit. hic Navale fuit. ad ſiniſtrum vero latus locus alius porticibus circumdatus, ubi Armamentarium ad inſtruendas claſſes, una cum proximis diverſoriis quamplurimis. Ex his omnibus ædificiis oppidum conflatum, cui ipſi nomen *Portus*

Ro-

Romanus, ſive ſimpliciter *Portus*, factum fuit, ex re. Quod non modo, ut ait Horatius de Foro Appî, diſfertum fuit nautis, cauponibus atque malignis; verum honeſtiſſimis ac ditiſſimis mercatoribus, multiplici militum cuſtodia, & pluribus Collegiis ſive Corporibus artificum; eorum præſertim quorum opera ad inſtruendam navigationem & mercaturam exercendam aptiſſima: ſacerdotibus quoque templorum, quæ variis diis præcipue marinis, ibidem dedicata erant, ceteroque, omne genus, populo, frequentiſſima urbs evaſit. Chriſtianiſque ſæculis, cum ex tranſmarinis regionibus quamplurimi Chriſti aſſeclæ huc, Romam voti cauſſa adituri, appellerent, celebrior etiam Civitas Portus Romanus effectus. ita ut ſacro Antiſtite proprio, atque adeo poſt Oſtienſem ſecundo, inter eos qui Romano Pontifici Maximo adſiſtunt, inſigniretur. Et pretioſo quoque Chriſti fidelium, qui veræ Religioni illuſtriſſimum, datis cervicibus, teſtimonium tulerunt, effuſo ſanguine, decoratus fuerit. Quorum in Latio Sacro opportunus ſermo redibit.

Duplicis hujus Romani Portus imaginem aliquam, licet exiguam, videmus nunc in Etruriæ Portu Liburni; quem alii cum Cicerone *Labronem* nominaverunt. Ibi enim a Ferdinando primo Mediceo Magno Etruriæ Duce duobus ferme ab hinc ſæculis duplex pariter Portus eſt communitus. Exterior alter, navium quamtumvis maximarum ac plurimarum in tuto capaciſſimus, cui vulgo *Porto di Livorno*; ſive, ſine addito, *il Porto*, eſt nomen; arce, propugnaculis, tormentis bellicis, quaque verſum, & Pharo inſtructiſſimus. Alter interior, cui per brevem ſinum aditus; huic nomen *la Darſena*, minoribus navigiis opportunior; quamquam & majora, ipſaſque re-

regias triremes etiam ſuſtineat. Ad interiorem Portum Magni Ferdinandi Statua marmorea, ſculpturæ elegantiſſimæ, ſtans; ſub qua æneæ ſtatuæ quatuor captivos Turcas catenis revinctos, frementium ritu atque rictu, exhibentes, pro baſi ſuppoſitæ. Oppidum ædificiis publicis privatiſque, ſacris atque profanis ornatiſſimum; mercatoribus ac mercibus ex omni regione quæ ſub Cælo eſt advectis ditiſſimum ac frequentiſſimum; bellico quoque apparatu univerſo munitiſſimum. Hoc demum inter ceteros Portus excellentiſſimum, quod, præter duplex hactenus memoratum navium receptaculum, ora ipſa maritima circa Liburnum, incolis *la Rada*, ad quinque ſaltem milliaria, Occidentem Solem verſus, ſtatio ſit nautis tutiſſima; navibuſque etiam bellicis, atque adeo Claſſibus ipſis copioſiſſimis, fida ſtatio comperta ſit. Siquidem agri Piſani, Portuſque Piſani littus; Turris cum Inſula, cui nomen il *Marzocco*; alia Inſula *Ameloria*, vulgo *la Melora*; Gorgonia quoque, ac longius Corſica majores Inſulæ; Pharos denique, atque ipſe Liburnus Portus adverſos ventorum impetus ita frangunt atque retundunt, ut nonniſi laſſis flatibus in hanc oram adſpirent.

Ceterum, ut ad Oſtienſem Portum redeam, a quo tantillum ſciens prudenſque diverti; mirabile illud, quod in ejuſdem Portus ædificatione accidiſſe Plinius a memoriæ prodidit: *Orca*, inquit, *in Portu Oſtienſi viſa eſt. oppugnata a Claudio Principe. venerat, tunc, exædificante eo Portum, invitata naufragiis tergorum advectorum e Gallia: ſatianſque ſe per complures dies, alveum in vado ſulcaverat: adcumulata fluctibus in tantum, ut circum agi nullo modo poſſet. & dum ſaginam perſequitur, in littus fluctibus propulſa emineret dorſo ſupra aquas, carinæ vice inverſæ. Prætendi juſſit Cæſar plagas multiplices intra*

a *Lib.* 9. *c.* 6.

oras

oras Portus: profectusque ipse cum prætorianis cohortibus, populo Romano spectaculum præbuit; lanceas congerente milite e navigiis adsultantibus: quorum unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum unda. Jam vero urbis ipsius *Portus*, jam celebris, ac populo frequentissimæ, atque ejus viciniæ, descriptionem habemus etiam ex Procopio, Gothicarum Rerum libro primo, his verbis: *Vitigis, cum cerneret, hostes libere ac tuto quæcumque vellent, exportare ex urbe, atque commeatus terra marique inferre; Portum, quem sic Romani vocant, occupare decrevit. Is abest ab Urbe stadia CXXVI. tanto scilicet intervallo, quominus maritima sit, Roma submovetur. Situs autem est Portus ad Ostia Tiberis amnis, qui Romam egressus, ubi mare ad XV. stadia adpropinquat, in duos scissus alveos, Insulam efficit, quam vocant Sacram. Hæc cum progrediente fluvio fit latior, ita uti tandem latitudinis mensura longitudinem fere exæquet stadiûm XV. & utrumque alveum in medio habeat; navigiorum autem cum utrumque sit capax amnis dextri alvei os, in Portum effunditur. Supra quod oppidum olim Romani in ripa amnis condiderunt, validissimo muro cinctum. quod Portum a re ipsa vocitant. Ad sinistrum alveum, ante alterum Tiberis os, Ostia sita est in ulteriore ripa: urbs quondam magni nominis: at nunc sine mœnibus jacet. Viam igitur quæ ex Portu Romam fert, planam atque expeditam veteres struxere Romani. Actuariæ autem naves magno numero, data opera, constitutæ sunt in Portu: bovesque haud pauci proxime habentur parati. negotiatores igitur, quando navibus in Portum pervenerunt, exemtas inde merces in actuarias imponunt, perque Tiberis flumen Romam devehunt. velis equidem aut remis minime utentes; quando neque vento aliquo navigia impelli possunt; nec remi, quum amnis copiosus fluat, atque rapidus, prodesse quidquam valent; quum semper adversus flumen adscendendum sit: sed funibus ex actuariis ad colla boum deligatis, ceu plaustra, Romam usque*

per-

pertrahunt. Ab altera vero amnis ripa, qua ab Oſtia Romam itur, ſilveſtris eſt via ac parum culta, nec propinqua Tiberis ripæ; ut juxta quam actuariæ naves nullæ ſurſum trahuntur. In quibus Procopii verbis illud diligenter eſt animadvertendum, ſtadia centum viginti ſex, quot a Portu Romam diſtare, ac viceverſa, hic auctor memorat, ea ætate qua ipſe ſcribebat, millia paſſuum fere ſeptemdecim confeciſſe. quo tempore ſtadia ſeptem cum dimidio, non octo, ut prioribus ſæculis, in milliaria ſingula computabantur. Atque hoc intervallum ſeptemdecim milliariorum, inter urbem Romam & Oſtienſem, ſive Romanum, Portum diſtantiæ, magis profecto convenit, quam quod in Antonini Tabula Itineraria corrupta ſignatur, milliariorum *novemdecim*. pro quibus Itinerarium maritimum habet *octodecim*. Cui conſentiens Rufus Feſtus in Breviario Rerum Romanarum, *Sub Regibus VII.* inquit, *per annos CCXLIII. non amplius quam uſque Portum atque Oſtiam intra XVIII. milliarium a portis urbis Romæ, utpote adhuc parvæ & a paſtoribus conditæ, Romanum proceſſit imperium.* Quod autem Procopius utrumque Tiberis alveum & oſtium ναυσίπορον, ideſt *navigiorum patientem*, tradit; id nonniſi de valde diſparibus magnitudine navigiis profecto eſt intelligendum. alioqui Rutilius, qui haud ita multo antiquior Procopio, falſa prodidiſſe dicendus eſſet; namque in Itinerario, ſive Carmine quod de itinere ſuo ab urbe Roma in Galliam conſcripſit, hæc de Oſtiis Tiberis prodidit *a*:

a *Lib.* 1. *v.* 179.

Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora ſecat.
Lævus inacceſſis fluvius vitatur arenis:
Hoſpitis Æneæ gloria ſola manet.

Attamen Rutilio potior, quam Procopio, fides habenda. Ille namque certiora de ea re, quam Procopius,

pius, noſſe, atque ideo proferre potuit; ut qui diu Romam incoluit, flumenque ipſum ipſe navigavit. Cui nihilominus, ſi ad lævum Tiberis oſtium nullum præter Æneam appuliſſe, illo carmine:

Hoſpitis Æneæ gloria ſola manet,

ſignificare voluiſſet, Ovidius obſtreperet, matrem Idæam lævo Tiberis oſtio ingreſſam, diſerte teſtatus. Ceterum Portus Oſtienſis, tum ſinus, ſcilicet, ad naves excipiendas, tum oppidum tantum brevi celebrari cœpit, ut inter præcipua Romani orbis miracula computaretur. Pluribus idem templis ornatiſſimum fuiſſe accepimus, quorum Dedicationes multæ repertæ. Duabus enim tantum portis oppidum cum adiretur, altera quæ Romam reſpiciebat, altera vero Inſulam Sacram; ad dexterum Romanæ Portæ latus templum fuit rotundum, Portumno & Fortunæ Tranquillæ dedicatum; ad caput Viæ latiſſimæ, quæ longiſſimi Fori ſpeciem præſeferebat. In hujus ruinis Bellajus Portuenſis Antiſtes Dedicationes tres Portumno factas, quas hic apponimus, reperit.

I.

PORTVMNO
SACRVM
M. SANGVINIVS. M. F.
PAL. LAVSVS
CVRATOR. CORP
LENVNCVLARIOR
PORTVEN

II.

PORTVMNO. ET
FORTVNAE. TRANQVILLAE
SACRVM

Q. CO-

Q. CORIDIVS. Q. F. PAL
CAMILLVS
PRAEFECTVS. PORT
NAV
VOT. VOVIT. L. M.

III.

PORTVMNO BONO
DEO. TRANQVIL
SEX. CLAVDIVS SEX. F.
PAL. ANTAEDIVS
CVRATOR. VICOR
PORT. ET. TI. CLAVDI
VS II VIR. D. D

Fuit autem Portumnus, quod ſciunt omnes, deus Portuum habitus, quem Græci *Palemona* dixerunt & *Melicerten*. De illo, in noſtro de Antiatibus libro, ubi de Matris Matutæ templo Satrici, ſat egimus; fabulæque ejuſdem apud Poetas, præſertim Ovidium, notiſſimæ. Præter Portumni templum in Portu Oſtienſi, alia quoque fuere, Fortunæ Tranquillæ, Spei, Felicitati, Cereri, Libero Patri, Vulcano, Mythræ, & Apollini, in Sacra Inſula dedicata. Dedicationes his diis factæ præcipue a Corporibus ſive Collegiis artificum navalium inveniuntur. ac nominatim a Collegiis Lenuncullariorum, hoc eſt parva navigia, *lenunculos* appellata, conficientium. quæ *Lembi Portuenſes* alio vocabulo dicebantur. Aliquas huc ex Ligorio *a* proferemus.

a *v.* Porto.

CORPORAT. LENVNCVLARIORVM. PORTVENS. Q. Q. III
TABVLARIVM. AVXILIORVM
T. AELIO. ANTONINO. AVG. III. ET ----------COS
T. TETTIENVS. L. F. AMANDVS
M. TESTIDIVS. M. F. AVLINVS

Poſt

Poſt hos alii uſque ad vigintitres ſequuntur Corporati; deinde:

P. BARRIVS. P. L. THALAMVS. SCRIBA
P. BARRIVS. P. L. GALVSCVS. QVAEST.
M. TREMELIVS. OLYMPICVS. II. VIR. COR
Q. MAESIVS II. VIR. COR
TI. CLAVDIVS. THEMISTIVS. PRAEF. FAB
M. VLPIVS. M. L. STEPHANVS. PROCVR. COR
M. VLPIVS. M. L. SALOMONAEVS. AERANISTA
M. VLPIVS. M. L. MENODORVS. TABVLARIVS
P. CERCINIVS. P. L. CHRVCA. VRINATOR
T. FVSIVS. ↃL. CAPITVLINVS. MINISTER
M. SARIVS. M. L. PVLCHER. MAGIST. Q. Q
M. SARIVS. M. L. PRVSIA. MAGIST. Q. Q
L. THELEIVS. L. L. PANYSIVS. ADIVTOR
M. THELEIVS. M. L. ONCHESTVS. ADIVTOR
T. PLERIVS. Ↄ·ↃL. AMANDVS. FAB. TIGNAR
A. AVIDIVS. A. L. PRACTICO. FAB. FERR
M. COEILIVS. SYMPHORVS
M. COEILIVS. NYMPHODORVS — PATRON. Q. Q
M. PORCIVS. M. L. MYCONANTHVS
M. LESSIVS. CYRILLAVS

Tertius hic Antonini Conſulatus, quem cum M. Aurelio Cæſar geſſit, in annum incidit V. C. DCCCLXXXXIV. Rep. Salutis CXL.

Altera huic ſimilis Tabula, verum in multa fragmenta comminuta, apud Portum Oſtienſem reperta eſt; ea parte in qua Forum Vulcani fuiſſe dicebant. Exhibuit autem Lapis Luſtrum ac Ludos Quinquennales quinto celebratos a Lenuncullariis Corporatis Portuenſibus, ſub imperio M. Aurelii ac Lucii Veri Cæſarum. Tabulam coagmentatam ſic ſe legiſſe Ligorius teſtatus eſt:

M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. ET. LVCIO
AELIO. VERO. COS. AVXIL. CORPVS
LENVNCVLARIORVM PORTVENSIVM
Q. — Q. V.
L. TETTIENVS. L. F. PRIMOGENIVS. PRAEF
P. AETEIVS. P. F. IANVARIVS. ADIVTOR

V T. CLAV-

T. CLAVDIVS. MOSCVS. PRAECO
M. VLPIVS. M. F. SABINVS. SACERDOS
M. VLPIVS M. L. THEONAESTVS. TAB
M. AERIVS M. F. LVTINVS. SCRIBA
M. VLPIVS. M. F. PALAT. PRISCVS. SACERDOS
MAGNI. DEI. MYTHRAE. INVICTI. QVINQ. V.
SIGNVM. PORTVMNI. RESTITVERVNT. D. D.
EPVL. FECERVNT.

De quo Conſulatu meminerit Lapis, in Faſtis difficile fuit ſtabilire. Ceterum ſubſequuntur in Tabula reliqua nomina Corporatorum Lenuncullariorum ad octoginta circiter. quæ vel ipſe Ligorius omiſit. Tabulam vero ipſam ad Portum Oſtienſem repertam ab Rodulpho Pio Cardinali, eodemque Portuenſi Antiſtite, Ligorius ipſe, Architectus ejuſdem, & Antiquarius, teſtatur. Ex cujus recenſione ſunt etiam ſequentes ibidem repertæ:

I.

P. LVCILIO. P. F. P. NEP. PRONEP
GAMALAE. AED. SACR. VOLKA
AEDILI. D. D. ADLECTO. GRATIS
DECVRIONI. PONTIFICI. II. VIRO
CENSORIAE. POTESTATIS. QVINQVENNALITIO
IN COMIT. FACTO. CVRATORI. PECVNIAE
PVBLICAE. EXIGENDAE. ET. ADTRIBVENDAE
IN LVDOS. — CVM. ACCEPISSET. PVBLICO
EVCAR. REMISIT. HAEDE SVO
EROGAT. FECIT
CVM. SVA. PECVNIA. VIAM. SILICE. STRAVIT
QVAE. EST. IVNCTA. FORO. AB. ARC
AD. ARCVM. IN. EPVLVM. TRICHLINII
H. CCCXVII
IN. PRANDIVM. SVA. PECVNIA
COLON. OSTIENSIBVS. BIS. DEDIT
IDEM. AEDEM. VOLKANI
SVA. PECVNIA. RESTITVIT
IDEM. AEDEM. CERERIS. SVA. PECVNIA CONSTITVIT
IDEM. PONDERA. AD. MACELLVM. CVM M. TVRRANIO
SVA. PECVNIA. FECIT
IDEM. AEDEM. SPEI. SVA. PECVNIA. RESTITVIT
IDEM. TRIBVNAL. IN. FORO. MARMOREVM. FECIT
HVIC. STATVA. INAVRATA. D. D
POSTVL. POPVLO. POSITA. EST
IDEM. AHENEA. D. D. POSTVL. POPVLO. POSITA. EST

PRO-

PROXVM. TRIBVNAL. QVAE. MEREAT
SVO. DECRETO. CVM. RESPVBLICA. PRAEDIA. SVA
VENDERIT. OB. POLLICITATIONEM. BELLI
NAVALIS. H.S. CCLV C̄C̄
DECVRIONES. FVNEREN. HINC DECVRIONES
FVNEREN. PVBLICO. EFFER. DECREVERVNT

II.

BONAE. SPEI. AVG.
SACRUM
Q. CAECILIVS. Q. F. PAVLLINVS
AEDIL. PORTVEN. ET. T. FLAVIVS
T. F. LEVINVS. SALENVS
MINISTER. OPER. PVB
Q. FVRFANIVS. Q. F. SABINIANVS
L. ARRIDIVS. L. F. PRISCILLVS
P. PROSSIDIVS. P. F. THALLOLVS
M. MISCENNIVS. M. F. PAETINVS
IIII. QVINQVEN

III.

VOLCANO. SACR
L. TVRRANIVS. L. F. PRAEMVLVS
SACERDOS. VOLCAN
L. FVFFIVS. L. F. CAEINIANVS
MAG. QVINQVENNAL. ITERVM
PRAEFECTVS. FABR. PORT
Q. SEXTINNIVS. Q. F. CIVICA NITIDVS
CVRATOR. QVINQVEN
SEX. PISCENNIVS. SEX. F. HERCVLANVS
IIII. VIR. QVINQVEN. DEDIC
KAL. IVN. IMP. VESPASIANO. AVG. IIII
ET T. FLAVIO CAESARE II. COSS

Scilicet V. C. DCCCXXV. a Chriſto Nato LXXII.

IIII.

FELICITATI
L. PLOTIVS L. F. RVFVS
III. VIR A. A. A. F. F. ET
QVAESTOR. T. CLAVDI AVG.
IDEM. OPER. MINISTER

In qua notæ iſtæ A. A. A. F. F. ſignificant, Lucium Plotium Triumvirum fuiſſe *Auro Argento Æri Flando Feriundo* præfectum conſtitutum; quem nunc dicimus *Preſidente della Zecca*. In Lapide quoque Lucii Lucilii ra-

rum eſt, quod *Decuriones Funerenſes* legantur, quorum decreto Lucilii cadaver Publica impenſa elatum dicitur. Hos Romæ *Deſignatores* appellatos fuiſſe, Horatius ſignificaſſe videtur, his verſibus *a*:

a *Epiſtolar. Lib.* 1. *Ep.* 7.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax deſideror. atqui,
Si me vivere vis ſanum recteque valentem;
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam: dum ficus prima calorque
Deſignatorem decorat lictoribus atris:
Dum pueris omnis pater, & matercula pallet;
Officioſaque ſedulitas, & opella forenſis,
Adducit febres, & teſtamenta reſignat.

Ad Oſtienſem pariter Portum Bacchi Statua detecta fuit, a Collegio Lenuncullariorum ei numini publice poſita; ut conſtitit ex baſis Inſcriptione in hæc verba: *b*

b *Ligor. v. Fiumicino.*

LIBERO PATRI THYONEO
SACRVM
CORPORIS. LENVNCVLARIORVM
PORTVENS

Hanc Statuam Beſſarion Trapezuntius Cardinalis Nicænus cum ſui juris feciſſet, profani cultus impietatem deteſtatus, in mare demergi juſſit.

Fuiſſe quoque loco aliquo celeberrimo conſtitutam apud Portum Oſtienſem Statuam Ragonio Vincentio Celſo viro clariſſimo a Menſoribus ſive Meſonibus, a metiendo frumento ſic dictis; & Caudicariis, ſcilicet Navicularis navium craſſiorum, ex caudicibus arborum compactarum, per Tiberim ultro citroque meantium, Inſcriptio baſis ejuſdem Statuæ ſic monet *c*:

c *Manut. Ortograph. p. mihi* 303.

RA-

RAGONIO. VINCENTIO. CELSO. VIRO. CLARISSIMO
A. PRIMO. AETATIS. INTROITV. IN. ACTV. PVBLICO
FIDELI. EXERCITATIONE. VERSATO. CVIVS. PRIMAE
VITAE. OFFICIO. SEDIS. VRBANAE. ADVOCATIONE. EXER
CITO. FIDEM. IVNXIT. INGENIO. PRVDENTIA. MIS
CVIT. LIBERTATEM. ITA. VT. NEMO. DE. EIVS. IN
DVSTRIA. NISI. ILLE. CONTRA. QVEM. SVSCEPERAT
FORMIDARET. CVIVS. ACCESSVS. AETATIS. AM
PLISSIMI. HONORIS. ET. QVI. SOLET. SENIORIBVS
PROVENIRE. ORNAMENTA. PROMERVIT. NAM
REXIT. ANNONARIAM. POTESTATEM. VRBIS AETERNAE
EA. AEQVITATE. VT. INTER. OMNES. QVI. AD
EVM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSET. PARENTEM
SE. PLERVMQVE. MAGIS. HIS. QVAM. IVDICEM
PRAEBVISSET.
HINC. ETIAM. FACTVM. VT. MENSORES. NOS
PORTVENSES. QVIBVS. VETVS. FVIT. CVM. CAVDI
CARIIS. DIVTVRNVMQVE. LVCTAMEN. VOTI COMPOTES
ABIREMVS. ET. VTRVMQVE. CORPVS. ET BENE
FICIO. SE. ET. VICTORIA. GRATVLETVR. ADFECTVM
NAM. VT. HOC. ESSET. INDICIO. IAM. POSITO. MA
GISTRATV. STATVAM. PATRONO. PRAESTANTISSIMO
TESTIMONIVM. GRATVLATIONIS. EXOLVIMVS
CVM. RES. NON. ADVLATIONE. PRIVATA. SED
IVDICIO. PVBLICO. IN. OTIO. ET. QVIETE. REDDATVR
DEDICATA. VIII. KAL. SEPTEMBRIS. FL. TIMA
SIO. ET. FL. PROMOTO. COSS

Scilicet V. C. MCXLII. Rep. Salutis CCCLXXXIX. poſt ſecundum Theodoſii ſenioris Conſulatum. Fuit autem Ragonius & ipſe Conſul cum Flavitta, duodecimo poſt hæc anno.

Huic Monumento tam celebri adde Lapidem a Portuenſibus poſitum Ti. Claudio in hæc verba *a*: a *Gruter. pag.* 235.

SALVTI. PERPETVAE
DOM. AVGVST
TI. CLAVDI. DIVI. AVGVSTI
FIL. DIVI. IVLI. NEP. AVG
PONT. MAX
TR. POT. XIIII
IMP. II. COS. III
C. IVLIVS. SVCCESSVS
PRAEF. CORP. FABRVM

FER-

FERRAR. TIGNAR. ET
TABVLAR. PORTVEN
D. S. P. P.

Scilicet *De Sua Pecunia Posuit*. Tertius autem hic Tiberii Consulatus in Fastis notatur V. C. DCCLXXI. Christi vero XVIII. Porro, in Portu Ostiensi erat Locus Publicus ubi marmora quæ ex omni Romani Orbis regione Romam deferenda erant, deponi primum, & sæpius etiam asservari consueverant. ibidem proinde Lapidarii & Lapicidæ, & Lapicidinarii, qui omnes opus ex lapidibus conficiebant, complures erant. quorum unus Lucius Apridius; cujus sepulcralis Inscriptio, ad Ostiensem Portum reperta, sic habuit:

DIS. MANIBVS
L. APRIDIVS. L. L. STENELVS
LAPIDARIVS
V. F. SIBI. ET. SVIS. LIBERIS
IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XIIII

Eodem loco vectigal lapidum advectorum publicanis solvebatur. Hic, Tabularii, qui vectigalium rationes supputarent, quique in unoquoque advecto lapide locum inscriberent unde advectus fuerat; mensuram quoque & magnitudinem uniuscujusque: ac demum, vectigali persoluto, sigillum Imperatoris in singulis lapidibus imprimerent. Quod etiam eruitur ex Inscriptione T. Tremelii, quam in Insula Sacra repertam, infra, ubi de hac Insula sermo erit, afferemus.

In Agro Portuensi prope viam publicam, loco qui dicitur *Lucignano*, Sepulcrum fuisse, atque adeo prædium Liciniorum, docet sepulcralis eorum Lapis,

ibi

ibi effoſſus, his notis inſculptus: *a*

a *Ligor. v. Licinia.*

D. M.
P. LICINIVS. L. F. PAL. SVRA. ET M. LICINIVS
P. F. VALERIANVS. ET. LICINIA. PRISCA
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS. ITEMQVE. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
IN. FR. P. XVI. IN. AGR. P. XX. HVNC
MONIMENTVM. EXTERVM. NON. SEQVE
TVR. NISI. DE. NOMINE. VTRAMQ.

Num ex hac Licinia Gente fuerint L. Licinius Sura, Trajani Imperatoris egregius dux; Valerianus etiam & Licinius Gallienus Imperatores, aſſeverare non auſim.

Jam vero, prope Portam oppidi *Portus Oſtienſis*, qua Romam ibatur, in Via Vitellia Sepulcrum fuit Dioxippi Portuenſis Grammatici, ſic inſculptum *b*:

b *Ligor. v. Dioſippo.*

M. VLPIO. AVG. LIB. DIOXIPPO
GRAMMATICO. PORTVEN
Q. VIX. ANN. L XIIII. M. IIII. D. XVI
VLPIA. AVG. LIB. OLYMPVS
A. MARITO. FIDELISSIMO. HER
PONI. CVRAVIT

De Via Vitellia Tranquillus in Vitellii Imperatoris vita: *Indicia Vitelliæ ſtirpis diu manſiſſe conſtat; Viam Vitelliam ab Janiculo uſque ad mare, itemque Coloniam ejuſdem nominis.*

Porro tanta fuit Oſtienſis ſive Romani Portus aliquando celebritas, ut uni ex urbis Romæ Portis & Viis Conſularibus nomina faceret. Itaque Porta ad dexterum Tiberis fluvii latus exeuntibus *Portuenſis* dicta eſt; & Via ex illa ad Portum uſque perducens, *Via* ſimiliter *Portuenſis* eſt appellata. Quamquam & *Navalem* aliqui vocitarint Portam, a propinquis flumini Navalibus. Paullo extra hanc Portam, Cæſaris

Di-

Dictatoris Hortos peramœnos fuisse ajunt. De quibus Horatius *a*:

a *Serm. lib. 1. Sat. 9.*

- - - Quemdam volo visere non tibi notum:
Trans Tiberim longe cubat is, prope Cæsaris Hortos.

b *Arringh. Rom. Subter. T. 1. p. 360. & seqq.*

Eamdem Portam *b* Christiani, *Sancti Felicis*, nominaverunt, ex Sepulcro viri sanctissimi hoc nomine insigniti, juxta Portam & Viam Portuensem exstante. Quemadmodum &, *Pontiani*, & *ad Ursum Pileatum*, (aliud ab eo quod in Exquiliis fuit, ad Divæ Bibianæ) & *ad Insulatas*, & *Sanctorum Abdon & Sennen*, & *Generosæ ad Sextum Philippi*, & *Sancti Julii*, aliaque sacra Christianorum publica Sepulcreta, Via Portuensi exstitisse, insignibus fortissimorum Christi athletarum ditata spoliis ac reliquiis, ex vetustis eorumdem Actis cognovimus. Ac inter cetera duorum Summorum Pontificum *c* Romanorum Corpora ad Ursum Pileatum Via Portuensi olim condita, prodidit Inscriptio hujusmdi:

c *MS. Bibl. Vatic. ap. Arringh.*

AD. VRSV. PILEATV. PORTV.
ANASTASIVS
INNOCENTIVS

Locus etiam fuit, eadem Portuensi Via, dictus *Ad Nymphas*, eo quod salientes aquæ copiosæ ibi essent. De illo Cardinalis Baronius *d* hæc meminit: *Locus Ad Nymphas dictus, inter Viam Corneliam & Portuensem situs est; qui, corrupto nomine, vulgo hodie dicitur* Santa Ninfa: *ubi adhuc antiquæ Ecclesiæ visuntur vestigia: insunt & nobilissimi subterranei aquæductus, ut conjici possit ex aquarum abundantia consecutum esse nomen locum illum, ut diceretur* Ad Nymphas; *quem nos vidimus*. Eadem quoque Portuensi Via Bosius alia Christianorum, atque adeo Sanctorum *e*, Sepulcreta detexit, atque recensuit. Aliud eo loco qui vulgo dicitur *Pozzo*

d *Annal. Tom. 2. an. 270. n. 14. & seqq.*

e *Arringh. ubi supra.*

Pan-

Pantaleo. *Ad Manlianam* aliud, villam olim Leonis X. Pontificis, nunc Collegii Virginum ad Divæ Cæciliæ in Urbe; tum etiam ad *Collem*, quem *Rosatum* dicunt; Judæorum denique antiquum commune sepulcrum. Quorum omnium monumenta celebriora Paullus Arringhius, in præclarissima sua Romæ Subterraneæ descriptione, diligentissime collecta recensuit. Ceterum, Ostiensis Portus vix ipsæ ruinæ apparent. Transmarinis Barbaris sæpius incursionibus devastatum oppidum, præsertim a Saracenis. Quorum e manibus recuperatum Leo Quartus Romanus Pontifex Maximus idem Corsis ad incolendum, atque adeo propugnandum, attribuit.

Has ipsi ruinas non semel invisimus. Siquidem & Salutis millesimo septingentesimo tertiodecimo, & nuperrime trigesimo & secundo Romani Portus reliquias omnes diligenter consideravimus. Nostra tamen vestigatione vix quidquam his monumentis addendum deteximus. Portus quidem Claudii sinus adeo maritimis æstibus jamdiu oppletus fuit, ut vix ejusdem vestigia appareant. Præcipue, cum ea parte accreverit terra, & recesserit mare plusquam mille passibus. Locus tamen palustris arundinibus & ulva scatens, stagnantibus quoque aquis crebro distinctus antiquum Claudiani Portus sinum & receptaculum fuisse, contemplantibus se adhuc prodit. Hunc pauciſſimi incolæ, seu verius accolæ, vulgato nomine *Trojana* appellant. Nam alterum Trajani Portum vocant *la Trojanella*, derivatis corrupte ab Trajano vocabulis; quamquam vulgus aliquid Trojanarum fabularum in hisce admixtum existiment. Profecto Trajani Portus adhuc aquis, marinis partim, pluviis plurimam partem, plenus cernitur. marinis quidem imo in fundo, ubi fortasse adhuc occulte mari, ce-

teroquin bis mille circiter paſſus diſtanti, communicat. Occulte, inquam, ac fortaſſe; certi enim nihil proferre auſim, cum aquæductus arte ac ſumma impenſa factus inſtar fluminis, & muris hinc atque hinc ab Trajano munitus jamdiu aggeſta humo atque ipſis murorum ruinis fuerit interceptus. Cujus tamen conſtructionem prudentiſſime ab architectis elaboratam ſuſpeximus. Non enim recta, ut primo quidem cogitantibus videri poteſt faciendum fuiſſe, non recta, inquam, hic alveus ad Claudii Portus cum Trajani Portu communicationem habendam excavatus fuit; verum in cubiti ſeu brachii modum ac flexum. idque duplici eodemque perutili conſilio. Primo quidem ne ventorum vis turbatas maris aquas in Trajani Portum tanto impetu effunderet, ut navibus ſtatio fieret male tuta: ſecundo vero, ne tanta foret arenæ eructatio, & terræ aggeſtio, qua & alveus ipſe, & Trajani deinde Portus opplerentur. Juxta hunc alveum dextro latere, Portum inter utrumque, aquæductuum ſive fiſtularum ad aquas fontibus, in uſum Portuum, miniſtrandas, veſtigia recenſuimus; ibique olim crateras ſive labra tria marmorea effoſſa fuiſſe didicimus, quæ nunc fontibus, ad Citatorii in Urbe Montis ædes, inſerviunt. Trajani Portus figuram, quæ ſex angulorum quondam fuiſſe perhibetur, ægre ac vix, & ne vix quidem, deprendas, ob ruinas partim, partim vero ob terræ aggeſtionem pluribus locis. Columnas tamen circumcirca ſuis diſpoſitas intervallis exſtare adhuc fere omnes mirati ſumus. Quin & illarum unam placuit diligenter dimetiri; altam ſcilicet invenimus palmos novem abſque baſi. baſis autem, quæ tamen columnæ continuata, latiori tantum gyro diſtinguitur, alta eſt palmos tres. dimidium latitudinis columnæ, ſive diametron, ut Græci dicunt,

pal-

Antiqui Portus Interioris Ostiensis à Traiano quondam constructi Prospectus.
uulgo nunc La Troianella.

Alius Traiani Portûs Ostiensis Prospectus.

Columnarum circa Traiani Portum Ostiensem dispositarum situs et figura.

Tab. VIII



Ex Columnis, quæ circa Traiani Portum Ostiensem ad retinendas naues dispositæ erant, una, numero trigesima nona, prout adhuc ad eum Portum uisitur.

Claudy et Traiani Impp
Admirabilium Portuum
Ostiensium Orthographia
Per Stephanum Du Perach
Iuxta Antiqua Vestigia
Accuratissime Delineata

Tab. IX.

Tab. X.





Antiquarum Sculpturarum Fragmenta extantia apud Portum Ostiensem in Impluvio Aedis Antistitis. ex Ruin. Vet. Vrb. Portuensis.

palmos duos, uncias tres. baſis tota terræ infixa fuit. Capitellum nullibi fuiſſe apparet, verum in ſumma Columna faſcia tantum pertenuis eidem ſaxo continuata. ſaxum, quod nunc dicimus *Granito*. Hujuſmodi Columnis Trajanus Portus ad naves alligandas circumdatus fuit undique. quarum, ut ajebam, pleræque etiam hodie exſtant. ſupra quadraginta fuiſſe crediderim. quamvis exactum earum numerum ob aliquarum defectum & locorum mutationem ſupputare nequiverim. Numeros tantum XXXI. & XXXIV. relegimus, earumque ſicuti jacent figuram deſcribendam curavimus, quas hic apponimus. Duplicem quoque Trajani Portus veſtigiorum proſpectum adjecimus. Neque pluribus noſtra horum locorum veſtigatio monumentis nos ditavit. Squallet enim per hæc tempora quam maxime tota hæc regio. corrupti aeris gravedine incolæ omnes vel enecti, vel certe fugati ſunt. tranſmarinorum hoſtium ne Romano Portu potirentur, quod toties fecerant, timor moles tantas atque impenſas Imperatorum, tamque præclara commoda & ornamenta, non per ſummam tantum deſidiam ac negligentiam, verum etiam de induſtria, & dedita opera, ad nihilum ferme redegit; ita ut etiam ruinæ ipſæ ferme omnes perierint; & hiſtoricorum qui ea celebrant, pene laboret fides, ut aliquando exſtitiſſe credantur.

CAPUT TERTIUM.

De Insula Sacra inter Ostia Tiberina.

DUPLICES inter Tiberini fluminis alveos & fauces Insula conspicitur, quam quindecim stadiorum latitudinem æquasse sua ætate Procopius refert. Hanc Romani *Sacram* nominavere, quod Apollini antiquitus ab Ostiensibus consecrata fuisset; in eaque templum ei numini dedicatum. Procopio *a* Insula sic describitur: *Situs autem est Portus ad ostia Tiberis amnis, qui Romam egressus, ubi mare ad XV. stadia adpropinquat, in duos scissus alveos, Insulam efficit, quam vocant* Sacram: *hæc cum progrediente fluvio fit latior; ita uti tandem latitudinis mensura longitudinem fere exæquet stadiorum XV. & utrumque alveum, in medio ipsa stans, circumdantem se habeat.* Hanc præ amœnitate, qua semper virebat, & odoratissimos meliori anni tempestate flores educabat, *Libanum almæ Veneris* vocatam refert Æthicus apud Cluverium *b*. ait enim: *Tiberis, inter Ostiensem Portum & Viam Portuensem,* (scribendum censeo cum ipso Cluverio: *Inter Ostiensem & Portuensem Viam*) *Urbem egreditur, qua naves de Portu Urbis ad dominam totius Mundi, Romam adscendunt. Hinc circa Sextum Philippi* (*scribe sextum decimum* lapidem, sine addito, nam *Sextus Philippi* sive *ad Sextum Philippi*, fuit ipso sexto lapide sive milliario ab Urbe, Via Portuensi, ut notavimus in superioribus) *quod prædium Missale appellatur, geminatur; & in duos ex uno effectus, Insulam facit, inter Portum Urbis & Ostiam Civitatem. Insula vero quam facit inter Urbis Portum & Ostiam Civitatem, ubi Populus Romanus cum Urbis Præfecto vel Consule, sacrorum cele-*

a *Lib.* 1. *de Bell. Gothic.*

b *Itaſ. Antiq. pag.* 879.

le-

lebrandorum cauſſa, egreditur, ſolemnitate jucunda, tantæ viriditatis amœnitatiſque eſt, ut neque æſtivis menſibus, neque hiemalibus, paſturæ admirabiles herbas dehabeat. ita autem vernali tempore, roſa, & ceteris floribus adimpletur, ut, præ nimietate ſui odoris & floris, Inſula ipſa Libanus almæ Veneris *nuncupetur*. Eſt autem Libanus Λίβανος Græce, Thus odoratiſſimum. Vicus in hac Inſula fuit, ſive Via regia hinc atque hinc magnificis ædificiis munita. Quæ inter, templum Apollinis eminebat; quod deinde Chriſtianis ſæculis inclyto Chriſti athletæ ſacro Antiſtiti *Hyppolito*, qui & *Nonnus*, veteri ſuperſtitione ſublata, fuit conſecratum. Duobus olim eamdem Inſulam pontibus Continenti conjunctam, ex quorum altero Portum Claudii, altero Oſtiam Coloniam tranſmittebatur, ex Varrone, Suetonio, ac Plutarcho ſe ſe eruiſſe Ligorius *a* meminit. Quinam vero qualeſve eſſent Ludi quos, *ſacrorum* nomine, in Inſula Sacra antiquitus celebratos, accepimus, non ſatis liquet. Videri ii quidem merito poſſent *Apollinares* fuiſſe; quandoquidem Inſula Sacra Apollini, ejuſque templo conſecrata fuerat. Hi Ludi etiam voti erant ac celebrati a Prætore Populi Romani publice, ex Martii, clari vatis, carmine. qui primo ſtatum diem non habuerunt; mox ſecundum ante Nonas Quintiles; ac demum plures. namque aliquando, cum Nonis Quintilibus cœpiſſent, uſque ad tertium Idus dati ſunt; ut ex Tullio, Livio, Macrobio, aliiſque auctoribus conſtat. Verum Ludos Apollinares in Inſula Sacra commiſſos fuiſſe publice a Magiſtratibus Populoque Romano, veterum tuto aliquo teſtimonio confirmare non poſſumus. Niſi tamen de illis locutum Auſonium fuiſſe dixerimus his verſibus *b*:

a *In Lib. A. L. v. Albula.*

b *Edyl.* XXV.

Nunc & Apollineos Tiberina per Oſtia Ludos,
Et Megaleſiacæ matris operta loquar.

In-

Incertum tamen num de Ludis in Insula Sacra celebratis hic sermo. Cluverius in hac Insula celebratos solemniter Ludos principio Februarii mensis, dubitavit : atque huc referri posse credidit quod Ovi-
a 2. *Fastor.* dius *a* meminit:

- - - - - - - - - Principio mensis
Tunc quoque vicini Lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas advena Tybris aquas.

& eodem spectare locum Taciti ajentis: *Dum sacrificii caussa Claudius Ostiam proficiscereturr*. videtur enim idem sacrum ludicrum hic Tacitus memorasse quod allatis versibus Ovidius; cum uterque illud circa idem anni tempus factum meminerit. Attamen, quidquid de Taciti loco dicendum, Ovidius certe ibi de Insula Sacra minime locutus est; sed de Luco Asyli, Palatinum inter & Capitolinum Colles urbis Romæ, ab Romulo olim aperti, in vicinia quidem Tiberis, sed non circa Ostia. Quare dicendum melius, ex veteribus dedicationibus, cum Ligorio aliisque Antiquitatis Eruditæ diligentissimis vestigatoribus, solemnes Ludos in Insula Sacra, & circa ipsa Ostia Tiberina quotannis celebratos, *Portunnalia* fuisse; scilice in honorem Portumni, vel Portunni, numinis tutelaris Portuum, qui Græcis & Palæmon, & Melicertes, ac Melicerta, Inóus, sive filius Inûs, vocatus est. quæ etiam *Isthmia* dicta sunt; eo quod in Isthmo Corinthiaca primum instituta, ibidem solemnissime celebrari quinto quoque anno consuessent. Quamquam autem primo differrent Isthmia a Portunnalibus, teste
b *Lib.* 5. *L. L.* Varrone *b*, quod Isthmia in Neptuni, Portunnalia vero in Portunni honorem; & hæc noctu, initiationis magis quam ludi specie, illa vero die celebrarentur; postea, nihilominus eadem Isthmia cum Portunnalibus promiscue habita, satis colligimus vel ex du-

pli-

plici Auſonii teſtimonio ajentis *a*:

a *Edyl.* XXVI.

Iſthmia Portunno bimaris dicat alta Corinthos. &
Iſthmia defuncto celebrata Palæmone, notum.

Itaque, hos Ludos in Sacra Inſula celebratos quinquenniis ſingulis, præter alia, frequentiſſima quoque in Portuenſibus ac Oſtienſibus Lapidibus Quinquennalium mentio non obſcure confirmat. Et quod Inſula Sacra eſſet quaſi quædam Iſthmus, oblonga ſcilicet terræ pars inter duo maria; quamvis Inſula inter duos fluminis alveos, & undequaque a Continenti deciſa foret. Porro Iſthmia, ſive Portunnalia, ſic agitata fuiſſe accepimus, ut multiplici curſui ac luctæ præmia, diverſi generis coronæ, fere omnes tamen arboreæ, propoſita eſſent. bigis itaque certabatur & quadrigis circa metas. Curſus in ſtadio decurrebatur; pugiles dabantur. Quodque potiſſimum in Portunnalibus fuit, cymbis ſive naviculis certamen navale inſtituebatur; ita ut meta Portus eſſet, ſive Promontorium. Quod idem ad Inſulam Sacram a Romanis & Oſtienſibus factitatum, non dubitamus. Quamquam autem, Portumni templum non in ipſa Inſula, verum in oppido Portus, apud ipſum Trajani ſinum exſtitiſſe, memoriæ proditum fuerit; Ludos nihilominus in vicina Inſula agitatos, tradunt. Quos non tantum in honorem Portumni, verum in aliorum quoque numinum honorem alios celebratos, pro certo habemus; cum de Apollinaribus & Megaleſiis, magnæ ſcilicet deorum Matris, diſertum Auſonii teſtimonium jam recitaverimus. Munierunt autem Romani ſiniſtrum Inſulæ Sacræ fluvii alveum muris, ita ut Oſtienſis Colonia curſu Tiberis omnino deſtitueretur. Porro Inſulam Sacram ab incolis nominari ſolitam ſua ætate *Mezza Paludoſa*, tradidit Leander Albertus. vel quod media eſſet inter paludes hinc atque inde;

vel

vel quod ipsa Insula palustris ex dimidio esset. Utramque enim originem id vocabulum commode habuisse potest. Cavendum autem, ne Insulam Sacram, ad fauces, sive ostia Tiberis, cum alia Insula Tiberis ejusdem, Romæ inter duos pontes effecta, confundamus; quod non uni ex incautioribus accidit. Siquidem Insulam Tiberinam, quæ Romæ, Cæstium inter atque Fabricium pontes, a Tiberi efficitur, *Lycaoniam*, & *Æsculapii*, propter ejus numinis templum, & simulacrum, sive genium, serpentis specie, ibi asservatum, antiqui dixere: recentiores vero *Isola di S. Bartolomeo*, ex Templo pariter Divo Bartholomæo, cujus corpus ibidem asservatur & colitur, dedicato, nominavere. Hanc primo a frugibus Tarquiniorum, pulso Superbo Rege, in Tiberim dejectis, eoque loco stagnantibus, mox aggregatione limi ex cloacis, quæ in Tiberim passim depurgantur, aggesti, con-
a *Lib.* 2. creviisse, prodidit Livius, *a* aliique. De hac quoque
b *Lib.*2.*Fast.* Ovidius, *b* Idibus Februarii ob Fauni sacrificia frequentata, sic meminit:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas Insula rumpit aquas.

Ceterum ex alveis Tiberis, qui Sacram Insulam ad ostia circumfluunt, sinister, ut olim, etiam per hæc tempora, difficillime subiri potest, ac vix unquam ab audacissimis ipsis nautis subitur, sed dexterum ostium tantum. ideoque ad dexterum Romani Cæsares, non tamen in ipso exitu fluminis, quod multi falso existimaverunt, sed in ora ipsa maritima Etrusca, aliquanto remotius, Portum immenso opere ac sumtu excitaverunt. Posterisque sæculis, eo jam eructatione maris ac ruinis molium ædificiorumque repleto, Pontifices Maximi multa impensa dexterum ipsum Tiberis alveum, quo naves actuariæ adscenderent Ro-

mam

mam uſque, purgatum conſervare, multa impenſa, continuo conati ſunt. Porro in Sacræ Inſulæ ruderibus repertum hoc Monumentum:

DIS. MANIBVS
T. TREMELIVS. T. L. NESTOR
LAPICIDINARIVS. ET
TABVLARIVS. PORTVEN
A RATION. MARM. LOC. MONVM
FECIT. SIBI. ET. SVIS. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. EORVM
IN FRONT. P. XII.
IN AGR. P. XVI

Et in fronte perexigui templi ſive ſacelli Divo Hyppolito ſacri ſepulcralis cippi fragmentum ſic inſcriptum, nuper ipſi coram deſcripſimus:

VALERIA
L. F. BASILIA
C. IVLIO AGATHE
MERO CONIV
GI BENEMERENTI

Ceterum, ipſam Inſulam antiqua adhuc amœnitate ac viriditate florentem conſpeximus; verum amplius multo quam olim ſpatium modo complexam. Ajunt enim locorum periti octodecim illam mille paſſuum ambitum circumduci. quamquam autem aliqua parte lætiſſimas ſegetes, & paſcua pinguiſſima educet; majori tamen paluſtris eſt, ſtagnantibuſque foſſis intercepta, quæ aucupio tantum & venationi deſerviunt. In hanc præcipue ſub finem Aprilis menſis coturnicum vis maxima ex tranſmarinis locis deſcen-

dit. atque inde dominis loci non exiguum compendium provenit. ab his aliisque transmarinis avibus, puta hirundinibus, upupis, ceteriſque, peregrinarum plantarum, ac præſertim Africanarum ſemina deferri perhibentur, quæ integra mox terræ reddita, & pingui ſolo ſuſcepta nativum germen producunt. unde Oſtienſis ora ejuſmodi plantis crebreſcere cernitur. Cingitur Inſula in Orientem Solem ſpectantibus ſiniſtro fluminis alveo latiori, at minus profundo, qui vulgo dicitur *la Fiumara*, nullis neque navibus neque ſcaphis frequentato. in Meridiem, Tyrrheno mari ſemper æſtuanti, & in dies magis magiſque recedenti alluitur. in Occaſum, dextero Tiberis alveo circumdatur, vulgo *Fiumicino*, qui modo Romanis loco Portus inſervit, plurimiſque navibus ſemper frequentatur. In Septemtriones vero ac Romam verſus, ubi in acutum incipit Inſula, & dividitur fluvius, ab ipſo ambitur latiſſimo ac profundo admodum, ante diviſionem. loco nomen nunc *Capo di Rame*, quod duos in ramos Tiberis ibi diſcernitur. Dexter fluminis alveus, ſcilicet *Fiumicino*, multiplici longiſſimum in tractum vallo & molibus munitus eſt a Romanis Pontificibus: noſque ipſi nuperrime produci eumdem vidimus, ad hoc, ut navibus tantum aquæ ſit in ingreſſu fluminis, ne in vado aut ſalo hæreant, ob mare ſemper recedens, ſive, quod idem eſt, exæſtuans, & novas ſemper ac novas arenas eructans, quæ alveum fluminis opplent. Itaque viſu mirabile eſt id vallum tanquam brachium, flumen inter & littus maris ejuſque aquas, longiſſime procurrens, & curſum ipſum fluminis veluti extendens. quod tamen identidem tanto impetu, præcipue cum aquarum inundatione intumuerit, in mare ſe ſe exonerat, ut ad multa milliaria iter ſibi inter marinas aquas continuet.

nuet. quod ex fluvialis in ipso mari ad multa spatia aquæ dulcedine manifeste colligitur; & ex periculo, in quod naves cursus idem adducit, ne transversum ferantur raptæ ab impetu. Unde fit ut subsistere sæpius nec tempus quidem exiguum cogantur, antequam vel ostium istud ingrediantur, vel exeant; donec detumuerit fluminis furor. Tanta Romani hodierni Portus per hæc tempora sunt incommoda, eo quod antiquorum sapientissimæ curæ ac potentissima munimenta, ob temporum iniquitatem, neglecta fuerint.

CAPUT QUARTUM.

De Colonia Ostiensi.

QUo primum tempore Ostia urbs exstructa & mœnibus munita est, eodem etiam Romana Colonia condita. Siquidem, *Anco Marcio Rege*, inquit *a* Livius, *Silva Mœsia Vejentibus ademta; usque ad mare imperium prolatum; & in ore Tiberis Ostia Colonia condita. Salinæ circa factæ.* Cui consentit Plinius *b* in Latii maritimi descriptione: *In principio est Ostia Colonia, a Romano Rege deducta.* & ceteri scriptores passim. unde illam etiam *Ostiam Marciam* a Conditore appellatam, scripsit Ligorius. Itaque ex antiquissimis fuit hæc Colonia, utpote quæ octavum inter ceteras locum obtinuerit, si antiquitatis ordinem spectes. Portis autem ac muris eamdem circumdatam, quibus hostiles arceret impetus, præcipue maritimos, certum est. Deque iisdem porta & muro de Cælo tactis meminit Livius *c*, Belli Punici Secundi tempore; ait enim *Consules religio tenebat, quod prodigiis ali-*

a *Lib.* 1.

b *Lib.* 3. *c.* 5.

c *Lib.* 27.

quot nunciatis, non facile litabant. & paullo poſt: & *Hoſtiæ* murum portamque *de cælo tactam* fuiſſe, nuntiatum, refert. Quo Punico bello maxime in Italia ferveſcente, Coloni Oſtienſes, cum aliis ejuſdem Latinæ oræ, diuturnis nimium delectibus ſuorum, pro Romanis, habendis, defatigati, vacationem ut peterent, Legatos Romam miſere; cumque ceterorum preces, ac poſtulata, ab Romanis, arctiſſime ab Annibale preſſis, in præſens rejecta eſſent; ſolis Oſtienſibus & vicinis Antiatibus, certis quibuſdam conditionibus, vacatio permiſſa eſt. Rem ita Livius *a*: *Diis rite placatis, delectum Conſules habebant, acrius intentiuſque, quam prioribus annis quiſquam meminerat, habitum. nam & belli terror duplicatus novi hoſtis in Italiam adventu: & minus juventutis erat, unde ſcriberent milites. Itaque Colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recuſantibus edixere in diem certam, ut quo quiſque jure vacationem haberet, ad Senatum deferret. Ea die hi populi ad Senatum venerunt: Hoſtienſis, Alſienſis, Antias, Anxuras, Minturnenſis, Sinueſſanus; & a ſupero mari Senenſis. Cum vacationes ſuas quiſque populus recitaret; nullius, cum in Italia hoſtis eſſet, præter Antiatem Hoſtienſemque, vacatio obſervata eſt: & earum Coloniarum juniores jurejurando adacti, ſupra dies triginta non pernoctaturos ſe eſſe extra mœnia Coloniæ ſuæ, donec hoſtis in Italia eſſet.* Porro jus vacationis Coloniæ Oſtienſis, aliarumque maritimarum, tale erat, ut harum Coloniarum Coloni perpetuo ab militiæ oneribus vacarent; idque merito quidem. Debebant enim maritimæ Coloniæ ſingulæ præſidia diſpoſita in littorali ſui agri ora in armis atque expedita ſemper habere, ad quoſvis hoſtiles ex improviſo aſſultus, qui ex mari forte ſubirent, fortiter propulſandos. Quemadmodum, etiam per hæc tempora,

a *Lib.* 27.

pora, Latinam eamdem oram turribus ac propugnaculis paſſim diſpoſitis tueri tenentur vicinorum oppidorum incolæ. Cum ergo Coloniæ maritimæ peculiaribus his muniis præſidiorum diſtinerentur, jure, ab omni reliqua militia vacabant. Honeſtiſſimamque omnium, perpetuam ac ſacroſanctam vacationem dicebantur habere. Verum, rebus Populi Romani, præter ſolitum, adductis in arctum, ad danda nomina etiam hæ maritimæ Coloniæ non ſemel coactæ ſunt. Quod autem in allata Livii narratione, Colonia Oſtia cum Antio jus ſuæ vacationis illæſum, ſartum tectumque, rebus adeo Romæ anguſtis, ſervare potuerit; id nonniſi vicinitati locorum datum eſt. Vix enim alio hæ Coloniæ utiliorem Populo Romano operam, per ſuos milites, collocare potuiſſent, quam ab ſua ora hoſtiles omnes impetus (quod conſuetum illis munus erat) arcendo. ita enim ab ipſis prope Urbis mœnibus, ab aris fociſque Romanis hoſtem ſubmovebant. qui, ſi ſemel Oſtia & Antio potitus foret, nullo negotio Romana ipſa mœnia victor impeteret. Quæ tamen ratio, quamquam validiſſima, non ſemper Coloniæ Oſtienſi ſuffragari valuit, ut vacationem ſuam integram conſervaret. Bello namque Romanis cum Antiocho Rege impendente, Oſtienſes Coloni cum ceteris maritimis milites, ad inſtruendam claſſem, expedire, vellent nollent, coacti ſunt. De his enim *a* Livius, *In comparanda*, inquit, *impigre claſſe Cajum Livium Prætorem contentio orta cum Colonis maritimis pauliſper tenuit. nam cum cogerentur in claſſem, Tribunos plebis appellarunt. ab iis ad Senatum rejecti ſunt. Senatus, ita ut ad unum omnes conſentirent, decrevit, vacationem rei navalis his Colonis non eſſe. Hoſtia, & Fregena, & Caſtrum Novum, & Pyrgi, & Antium, & Tarracina, & Minturnæ, & Sinueſſa*

a *Lib.* 36.

ſa fuerunt; quæ cum Prætore de vacatione certaverunt. Itaque hoc facto, Coloniis maritimis jus vacationis in poſterum reſtrictum ac diminutum; ita ut a terreſtri tantum militia vacandi jus habere decretæ fuerint: cum navali, eo quod maritimis rebus eſſent perquam aſſuetæ, præ aliis mediterraneis, forent aptiſſimæ. Ceterum, Colonia Oſtia tranſmarinis ditata commerciis, opulentiſſima, & potentiſſima quondam evaſerat. Quamquam autem, iiſdem ex commerciis, permulta, vario tempore, incommoda eamdem paſſam fuiſſe, minime ſit dubitandum; graviſſimum tamen omnium excidium a Cajo Mario ſeniore pertulit; dum Civile bellum illi cum Lucio Sulla ferveret. Quamquam enim ab hac ipſa Colonia ſalutem ſuam aliquando Marius unice hauſiſſet, utpote quæ liberam ei fugam ab inſequentibus hoſtibus præbuerat; ingratiſſima, nihilominus, vice, tantum beneficium penſavit. Res autem, ex probatiſſimis *a* auctoribus, ita habuit. Victricibus jam in Urbe Sullanis partibus, dum C. Marius provinciam ſibi ſuffragiis decretam a Sulpicio, eſſet aditurus, duoſque tribunos militum a Sulla exercitum accepturos legaſſet; Sulla, cui triginta millia erant peditum, & non minus quam quinque millia armatorum equitum, exhortatis militibus & tribunis militum, trucidatiſque legatis Marii obviam venientibus, contra Urbem copias duxit. Marius quoque de amicis Sullæ multos necavit. Cumque, ob militiam, ſervos libertate donaſſet, ad pileum vocatos; tres tamen ex illis tantum eidem armati affuere. Marius itaque, poſtquam nonnihil Sullæ irruenti obſtitiſſet; e veſtigio vi ſuperatus, fugam arripuit. Qui cum eo erant, ut primum ex Urbe expulſus eſt Marius, paſſim noctu palantes diſperſi ſunt. Ipſe ad quoddam ſuum Suburbanum, quod in Cam-

a *Plutarch. in Mar. Appian. de Bell. Civ. lib. 1. Flor. cap. 21. lib. 3. & lib. 79. Epitom. Liv.*

Campo Solonio fuit, agri Lanuvini parte, Oſtienſique agro vicinum, ex trepida fuga primo ſeſe recepit. Filium vero ad prædia Mutii ſoceri ſui, quæ non multum diſtabant, neceſſarios commeatus ſumturum miſit. Ipſe autem Oſtiam ingreſſus, ad Oſtienſem veterem amicum ſuum Numerium divertit. A quo perbenigne acceptus (quod inſigne fidelitatis in amicitia documentum fuit, & exemplum ; Marius enim hoſtis a Senatu jam fuerat judicatus, adeoque Numerius illo excipiendo graviſſimum capitis diſcrimen ſubivit) in ſubito apparatum inſtructumque navigium dimiſſus eſt. Omittam hic, ut a narratione noſtra nimis remotum, Marii exſilium & carcerem, Minturnarumque paludes, & mendicatum victa Carthagine panem. Id unum perſequar, quod inſtituti noſtri propriiſſimum eſt, quomodo nempe Oſtiam Coloniam Marius pro tam ingenti ſalutis, per fugam, accepto beneficio, fuerit remuneratus. Itaque, rebus in Urbe ceteraque Republica immutatis nonnihil; cum Lucius Sulla longe abſens in agro Bœotio bellum Mithridati Pontico Regi inferre pararet; Lucium Cinnam a victore Octavio, per vim, Conſulatu atque Urbe ejectum, ſuſpectumque Sullæ, amicitia ſibi Marius conciliavit. & collectis in Africa Maurorum copiis, deque ſparſis Italorum etiam, ſuæ olim factionis, aliis non paucis Italiam petiit, ac primo ad Telamonium Tyrrhenum oppidum eſt egreſſus. ubi ſervos, ut ad arma ſecum venirent, libertate donavit. Mox Colonis gloria & veteri fama C. Marii excitis, & ad mare undique ad ipſum concurrentibus; junioribus præſertim, ut partes ſuas ſequerentur, facile perſuaſis; quadraginta naves inſtruxit. Quibus inſtantibus, Cinnæ ſignificavit, ſe in ejus poteſtate, ut Conſulis, futurum. Cinna certantem officiis volens vin-

cere,

cere, Marium per nuncios Proconſulem appellavit; faſceſque illi, ceteraque Magiſtratus inſignia, quibus uteretur, tranſmiſit. Quæ tamen, ut præſentem exſulis fortunam dedecentia, Marius recuſavit; incultum horridumque oris, totiuſque corporis, atque inceſſus habitum, quo populorum magis miſericordiam captaret, ſua ſponte affectans. Verum, quod caput erat, in Sullanæ factionis oppida, ſuis ac Cinnæ viribus fretus, ſtatim hoſtiles impetus fecit. Primum enim præciſa nautis penſione, & mercatoribus prædando ſpoliatis, pretia rebus conſtituit ipſe. Deinde ad maritimas urbes navigans, illas excidit. Oſtia Colonia reſtabat, quæ, quod hoſtem Marium a Senatu judicatum noverat, neque illum excipere, neque tranſitum eidem permittere volebat. Hanc maritima oppugnatione ipſe aggreſſus, cum vi nequiret, proditione tandem obtinuit. Aliqui enim ex veteribus Marii amicis, conjuratione facta, ipſum intra mœnia, clam aperta, acceperunt. malo tamen patriæ ſuæ, ac Civium, cognatorumque ſuorum. Siquidem Marius, Oſtia per proditionem ſic occupata, res Civium fœde militibus diripiendas permiſit, plurimoſque Colonorum miſerrima ſtrage interfecit. Cumque ponte flumen conjunxiſſet, commeatum omnem, qui per mare ad urbem Romam vehebatur, hoſtibus ſuis in ea incluſis præcidit penitus, ac interdixit. Quæ Florus *a* perpaucis ſic eſt complexus: *Sed, cum diis hominibuſque infeſtus rediret, ſtatim primo impetu cliens & alumna Urbis Oſtia, nefanda ſtrage, diripitur.* Et preſſius alibi *b*: *Oſtiam Coloniam Marius expugnavit, & crudeliter diripuit.* Melius autem vocaſſet Florus hanc Coloniam non *alumnam* Urbis, ſed *altricem*; quod ipſa non ab urbe Roma aleretur, verum ab ipſa urbs Roma eſſet alta. Siquidem ante Portus Oſtienſis a Claudio exſtru-

a *Lib.* 3. *Rer. Rom.*

b *Lib.* 79. *Epitom. Liv.*

ſtructionem, Oſtienſis ipſius Coloniæ commeatibus, maxima ex parte, Urbs alebatur. Et claſſes ipſas Romanorum, quas ſub Imperatoribus, ac præſertim ſub Auguſto, ad Miſenum partim, partim vero ad Ravennatem Portum ſubſiſtere, moris fuit, ante illam ætatem in Oſtienſi ſubſtitiſſe, ut plurimum, conſtat. Livius *a* enim, *M. Claudium*, inquit, *qui Claſſi ad Oſtiam ſtanti præeſſet, Canuſium ad exercitum mittendum.* & mox: *M. Claudius Marcellus ab Oſtia* CIↃIↃ. *milites, quos in Claſſem ſcriptos habebat, Romam, ut urbi præſidio eſſent, mittit.* & libro vigeſimo ſexto: *Ita cum triginta navium claſſe (omnes autem quadriremes erant) Oſtiis Tiberinis profectus.* Ceterum bellis Civilibus, Sullanis, Marianis atque Cinnanis ſublatis, reſpiraſſe Oſtiam Coloniam, pro certo habemus; & priſtino ſplendori reſtitutam fuiſſe. quod opes tranſmarinæ eo undique confluentes brevi tempore perfecerunt. Jam vero Ciceronis, atque adeo Magni Pompeii ætate, maritimi prædones in tantum excreverant, ut, juſta quaſi Claſſe, maritimas aſſidue, ingenteſque prædas agerent, ac mari pene univerſo potirentur: inque tantum audaciæ proſperis ſucceſſibus elati ſunt, ut ipſam inſtructiſſimam Populi Romani Claſſem Oſtiæ ſtantem aggrederentur, caperent, atque opprimerent. Quos tamen Magni Pompeii virtus fugavit illico & profligavit. Rem memoravit Tullius *b* his verbis: *Nam quid ego Oſtienſe incommodum atque illam labem atque ignominiam Reipublicæ querar; cum prope inſpectantibus vobis, Claſſis ea, cui Conſul Populi Romani præpoſitus eſſet, a prædonibus capta atque oppreſſa eſt? Proh dii immortales! tantam ne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore adferre lucem Reipub. potuit; ut vos, qui modo ante Oſtium Tiberinum Claſſem hoſtium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum navem eſſe, audia-*

a *Lib.* 22.

b *Pro Leg. Manil.*

diatis? Idem Tullius Coloniam Oſtienſem celeberri-
a *Lib.* 12. mam vocavit non ſemel, in ſuis ad Atticum *a* Epiſtolis; ubi, de Lucii Cottæ villula, in Oſtienſi ſita; quam ipſe Cicero emere cogitavit, ad ſepulcrum ſibi, & fanum in publico conſtituendum. quod tamen, villæ ipſius anguſtiis prohibentibus, non perfecit. Porro V. C. an. IↃCLXXXXIV. ante Julii Cæſaris & Bibuli Conſulatum, tanta tempeſtas, ut Dion refert, repente urbem totam omnemque circum regionem invaſit, ut multæ arbores radicitus convulſæ, multa ædificia ſubverſa; naves in Tiberi ad Urbem, & ad Oſtia fluvii, in ſtatione locatæ, ſubmerſæ; pons ligneus disjectus ſit. Sub Imperatoribus autem Julio Cæſare, & Auguſto vel navigationis commercia ſummopere aucta fuiſſe in Colonia Oſtienſi, vel Oſtium Tiberis, quo, veluti Portu, hactenus uſi fuerant Romani, impervium navigantibus, & oram ipſam marinam Oſtienſem male fidam navibus evaſiſſe, dicen-
b *In ejus Vita.* dum. Namque Julius Cæſar, teſte Plutarcho *b*, proximo Romæ mari clauſtra adgeribus imponere inſtituit; cæcumque & importuoſum Oſtiæ littus repurgare, ac portus ibi moliri, navaliaque, quæ tantæ navigationi ſufficerent: quemadmodum fuſe hactenus, ubi de Portu Oſtienſi, in ſuperioribus enarravimus. At vero, Tiberio imperante, illud de Colonia Oſtienſi memoriæ proditum a Seneca; nocte quadam adeo ibi Cælum arſiſſe, ut incendii ſpeciem, Coloniam ipſam abſumentis, Romæ ſtantibus vigilibus præberet.
c *Quæſt. Natural. lib.* 1. *cap.* 15. *Sub Tiberio Cæſare*, *c* inquit, *cohortes in auxilium Oſtienſis Coloniæ cucurrerunt, tamquam conflagrantis: cum cæli ardor fuiſſet per magnam partem noctis, parum lucidus craſſi fumidique ignis.* Ad vera, nihilominus, incendia præcavenda atque exſtinguenda, ſi forte fuiſſent coorta in hac Colonia; quæ lignea ſupellectile, ad navigatio-

nem

nem exercendam, ipsasque copiosissimas Romanas Classes construendas, atque instruendas, affatim conferta erat; cohortem militum collocasse Claudium Cæsarem, Suetonius memoravit. quam tamen cohortem ad Ostiensem Portum potius collocasse Claudium, quam in ipsa Colonia Ostia, crediderim; cum ipse Ostiensem Portum excitaverit ac muniverit. De Ostia quidem sic Suetonius *a* in Claudio: *Ostiæ cohortem ad arcendos incendiorum casus collocavit*. Ante hunc, Cajus Caligula matris fratrisque cineres ex insulis Pandataria, & Pontia, in quibus exsules decesserant, Ostiam delatos, ipse maxima funebri pompa & scena ibidem excepit; præfixo in biremis puppe vexillo: & inde Romam Tiberi subvectos per splendidissimum quemque Equestris Ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit. Idem Cajus Equiti R. tumultuanti, per Centurionem denuntiavit, abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolomæum Regem in Mauritaniam codicillos suos. Quorum exemplum erat: *Ei quem istuc misi, neque boni quidquam, neque mali feceris*; quemadmodum narrat Suetonius. Porro Claudius Caji successor Ostiensem Coloniam multum dilexit; ac posteaquam suo Portu muniverat, sæpissime frequentavit; nunc animi ergo, nunc sacrificiorum, nunc ludorum annuorum caussa; ita ut aliquando eum Ostiam profectum, periisse ex insidiis, falso Romæ nuntiatum fuerit. Nam Britannicam expeditionem cum suscepisset, solvissetque ab Ostia, in ultimum pene discrimen fœdissimæ vi tempestatis adductus fuerat. Idem curam Ostiensis Coloniæ, quæ ad eam diem Quæstoribus Urbanis fuerat demandata, ab illis abstulit; cui tamen tribuerit, Suetonius, horum auctor, non meminit. quamquam, dilexisse eum peculiariter Ostiam Coloniam,

a *Cap.* 12. & *aliis*.

vel ex eo patet, quod, pro tribunali, Oſtienſibus quiddam orantibus, cum excanduiſſet; nihil habere ſe vociferatus eſt, quare eos demereatur: ſi quem alium, & ſe liberum eſſe. Rurſum iiſdem Oſtienſibus, quia ſibi ſubeunti Tiberim ſcaphas obviam non miſerint, graviter correptis; eaque cum invidia, ut in ordinem ſe coactum conſcriberet; tantum non ſatisfacientibus veniam modo dedit. Cohortem vero, quam collocaſſe in hac Colonia diximus, ſeptimam decimam fuiſſe, veriſimile eſt. Siquidem de hac Tacitus *a*: *Septimam decimam Cohortem Colonia Oſtienſi in Urbem acciri Otho juſſerat*. At Nero, qui Claudio ſucceſſit, deſtinarat, Oſtia tenus, mœnia Urbis Romæ promovere; atque inde foſſa, mare veteri urbi inducere; teſte Suetonio. Imperatore autem Flavio Veſpaſiano iterum, & Tito Veſpaſiano Cæſare Conſulibus, habuit Colonia Oſtienſis Patronum Publium Annium Carum, Publii filium, e Palatina Tribu, Sacerdotem Neptuni, ut ex dedicatione quam infra, ubi de Templis Oſtienſium, afferemus, conſtat. Quod incolumitatis Coloniæ ejuſdem, per ea tempora, non modicum eſt argumentum. Veſpaſianus idem Imperator juſſit ut Claſſiarii, qui Oſtiis Puteolos & Romam, ultro citroque, tabellariorum more, pedites ſemper incedebant, excalceati currerent eam viam; quem morem ad Hadriani uſque tempora, perduraſſe, meminit Suetonius in Veſpaſiano; ſic referens: *Claſſiarios qui ab Oſtia & Puteolis Romam per vices commeant, petentes conſtitui aliquid ſibi Calcearii nomine; quaſi parum eſſet ſine reſponſo abegiſſe; juſſit poſt hæc excalceatos curſitare: & ex eo ita curſitant*. Sub Trajano quoque floruiſſe Coloniam Oſtienſem, eruimus ex Plinio Juniore. Ipſe enim epiſtola quam in Laurentibus deſcripſimus, quæque tota eſt de ſua Laurentina villa, Colo-

a *Hiſtor. lib.* 1.

niam

niam Oſtienſem nominat, rebus omnibus inſtructam; unde ille, quæ opus ſibi ruſticanti forent, petere conſueverat. *Suggerunt*, inquit, *ligna proximæ ſilvæ. ceteras copias Colonia Oſtienſis miniſtrat. Splendidiſſima Colonia Oſtia* dicitur in Lapide M. Cornelii Valeriani, ejus Decurionis; quem nos ſuperiore libro, ubi de Coloniis Laurentum deductis ageremus, attulimus. Cum tamen is Lapis incertæ ſit ætatis; ſtatuere minime poſſumus, quonam ſub Cæſare Oſtia *ſplendidiſſima* fuerit. Senſit etiam Hadriani Cæſaris liberalitatem hæc Colonia, ſeque ab ipſo Imperatore conſervatam & auctam, publico perennique teſtimonio profeſſa eſt; monumento, ſcilicet, inſcripti Lapidis, quem ad Divi Paulli extra muros, Via Oſtienſi, proſtaſſe Gruterus *a* aſſeruit, in hanc ſententiam : a *Pag.* 249.

IMP. CAESARI DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F.
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIM
TRIB. POTEST. XVII. COS. III. P. P.
COLONIA OSTIA
CONSERVATA. ET. AVCTA
OMNI. INDVLGENTIA
ET. LIBERALITATE. EIVS

Antoninus vero Pius eos qui Oſtiæ lavarent, juvit; ait enim in ejus vita Julius Capitolinus : *Opera ejus hæc exſtant - - - - - Cajetæ portus; Tarracinenſis portus reſtitutio; lavacrum Oſtienſe; Antiatum aquæductus; templa Lanuvina.* Clodius autem Albinus, qui cum Peſcennio Nigro aliquandiu cum Imp. Sept. Severo de Romano Imperio contendit, ex Colonia Oſtienſi pepo-

nes

nes præcipue amavit, ajente eodem Capitolino, in geſtis ejus: *Quingentas ficus paſſarias, quas Græci calliſtruthias vocant, jejunum comediſſe dicit* (Cordus Hiſtoricus) *& centum perſica Campana, & melones Oſtienſes decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadraginta.*

Imperator vero Tacitus, referente Flavio Vopiſco, centum Columnas Numidicas pedum vicenûm ternûm Oſtienſibus donavit de proprio. Unde, vel ſub hoc Principe Coloniam Oſtienſem magnificis inſtructam ædificiis perduraſſe, colligimus.

In eadem Colonia Quintum Plotium Quinti filium, e Quirina Tribu, omnibus honoribus functum deceſſiſſe, Lapis alter Gruterianus nos edocet. qui ſic habet *a*:

a *Pag.* 454.

Q. PLOTIVS. Q. F. QVIR
ROMANVS
EXORNATVS. EQVO. PVBL
HONORIBVS. FVNCTVS
IN COLONIA. HOSTIENSI
DECESSIT
SVPERSTITIBVS. PARENTIBVS

Quæ ultima verba apponi voluit Plotius in ſuo ſepulcrali Lapide, tamquam ſinceriſſimæ charitatis in ſuos parentes certiſſimum argumentum; perinde ac ſi lætum ſe obiiſſe, ſignificare voluiſſet, vel ex eo maxime, quod parentum mortem non vidiſſet; ſed præveniens eoſdem, incolumes apud ſuperos reliquiſſet. Quemadmodum & parentes, filios ſuos ſuperſtites relinquere, ſummopere lætabanrur; & ſi quando filiis morte præventis ſepulcrales Lapides ipſi ponerent; maximi doloris ſignificatione, hoc ipſum no-

ta-

tabant; quod ſcilicet *mœſtiſſimi parentes chariſſimis filiis feciſſent*. quod, communiori naturæ lege, filii ipſis parentibus facere debuiſſent.

Quamvis autem Colonia Oſtia, utpote quæ tranſmarinorum barbarorum incurſibus prima pateret ad prædam, ſæpius ingentes clades, Romanis ſub Imperatoribus, perpeſſa fuerit, ſemper tamen in priſtinum fuit reſtituta. Adeo ut, ſeculo Chriſti quarto & quinto, floruiſſe eamdem, certo ſciamus. Nam quarto quidem, Oſtiæ, Gallicanus, vir Conſularis, ab fortiſſimis Chriſti athletis Joanne *a* ac Paullo Chriſtianam veritatem edoctus, hoſpitalem domum copioſiſſimam aperuit, ad peregrinos omni ope & cura excipiendos atque tractandos. Quod ipſum haud ita multo poſt in Portuenſi oppido Pammachius, Senatorius vir & ipſe generoſiſſimus, eſt imitatus. Celebratam igitur iis temporibus ab advenarum frequentia Oſtiam fuiſſe, neceſſe eſt. Quod ex Divi *b* Auguſtini libris etiam eruitur, de ſeculo ſubſequente. Ipſe namque cum matre Monica, ſanctiſſima fœmina, Oſtiæ ſubſtiterat; ubi pariter illa diem pientiſſime obiit: corpuſque ejus ad Divæ Aureæ ibidem tumulatum; donec Romam ad Divi Auguſtini, Martino Quinto Pontifice Summo, translatum fuit. Verum, Romani Imperii majeſtate jam decreſcente, hoſtiles denuo incurſiones, maxime autem Arabum, quos *Saracenos* appellabant, Oſtiam Coloniam penitus everterunt ac ſubverterunt omnino. Cumque in ruinis diu jacuiſſet, tandem a Gregorio *c* Quarto Romano Pontifice Summo reſtituta fuit, ac validiſſimis muris ad defenſionem munita. Quam poſtea Nicolaus Primus pariter Pontifex novis munimentis excitatis, ac præſertim erectis turribus, ad propugnacula, fortius roboravit. Hanc ipſam Coloniam atque adeo urbem

a *Ex Act. SS. Jo. & Paul. Martyr.*

b *Confeſſ. Lib.* 9.

c *Anaſtaſ. in Greg.* IV.

Oſtien-

Oſtienſem Romana Sedes ſummis decoravit honoribus. Oſtienſis enim Antiſtes primus eſt inter reliquos qui Romano Pontifici adſiſtunt. Cujuſque peculiare munus eſt honorificentiſſimum, Romanos ipſos Pontifices, mox ut electi fuerint, conſecrare: Pallio quoque ſingulariter uti. Quæ tamen recenſere per ſingula, Latii Sacri quidem, at præſentis noſtri inſtituti, qui profana tantum nunc monumenta perſequimur, minime eſt.

Illud quidem non omittendum, inviſiſſe nos Oſtiam Coloniam atque urbem, Reparati Orbis anno MDCCXXXII. quo hæc ſcribebamus, urbiſque cadaver, non urbem, vidiſſe. Paludibus undique cingitur & ſtagnis venationi vix aptis. Cælo graviſſimo quotquot omnia circa loca uti Oſtiam, judicavimus proprio periculo experti, cum vel ipſo vere vix adulto capiti tamen maxime nocuum perſenſimus. Id in cauſſa, cur vix dimidia anni parte ab colonis vicinorum agrorum vicus incolatur. ad vicum enim perpaucorum tuguriorum redacta eſt Veteris Coloniæ Oſtiæ magnificentia. Ædem quidem Sacram Divæ Aureæ Virgini pro Chriſto quondam in hac vicinia peremtæ, adhuc exſtantem, & bene cultam cum gaudio venerati ſumus. Arx quoque, quamquam anguſta, validis tamen muris exſtructa & propugnaculis munita ab Julio Secundo Romano Pontifice, perdurat; verum omni prorſus deſtituta præſidio. Eo quod, recedente mari ad tria paſſuum millia ab Oſtia urbe, alia propius ipſum atque item alia propius, ſubſecutis temporibus, munimenta conſtructa ſunt. Divo quoque Herculano Sacra Ædes præclaro opere ædificata mille quaſi paſſus ab Oſtia nondum ſubſedit; verum derelicta pene atque inculta. Salinæ quidem quæ antiquiſſime circa fuerunt fa-

ctæ,

ctæ, nunc quoque exercentur, loco qui dicitur *il Casone del Sale*. Veterum autem sepulcrorum Monumenta quædam, quæ nuper in Agro Ostiensi eruta, in ædibus Ostiensium Antistitum asservantur, nosque præsentes descripsimus, infra, ubi de Agro & Via Ostiensi, apponemus.

CAPUT QUINTVM.

De Via & Agro Ostiensi.

TANTA fuit celebritas, priscis temporibus, Urbis & Coloniæ Ostiensis, ut viæ portæque per quas ab Urbe Ostiam ibatur, nomina *Viæ Ostiensis*, & *Portæ Ostiensis* tribuerit. Siquidem Porta illa urbis Romæ quæ antiquissimis Romanæ Reipublicæ sæculis, *Porta Trigemina* dicta fuerat, ex eo, quod inde Horatii trigemini fratres ad dimicandum cum tribus Curiatiis Albanis, decertandumque de summo Imperio, inter urbes æmulas, fuerant egressi; hæc, inquam, Porta, paullo propius siniſtrum Tiberis latus translata, ab celebritate Coloniæ Ostiensis, quo emittebat, *Ostiensis* posterioribus sæculis fuit appellata. Quemadmodum Ammianus Marcellinus, atque Procopius, non uno loco, luculento sunt testimonio. Anastasius *a* vero, ac deinceps reliqui Christiani scriptores, Portam eamdem *Sancti Pauli* nominavere. quod vocabulum illi hodieque permanet meritissime. Subest enim tota hujus Portæ vicinia tutelæ Sanctissimi Pauli, Christiani Orbis Doctoris Divini; quippe quæ ex ejusdem fortissime obita pro Christo morte, corporisque pretioso magnificentissimoque Sepulcro, ac Templo, ornatissima evasit ac celeberrima. Extra Portam

a *In Vigil. Pap.*

Oſtienſem Via Oſtienſis incipiebat, tredecim, plus minus, mille paſſus Oſtiam Coloniam uſque producta; in qua hæc loca memoratu digna fuiſſe olim, accepimus. Primum intra lapidem, mendicorum ſtationes & diverſoria; ubi etiam ſub Nerone Judæorum multos, quibus cophinum fœnumque ſupellex, habitaſſe tradunt. Porro in ipſo exitu præſentis Portæ Oſtienſis Sepulcrum eſt celeberrimum C. Ceſtii, Epulonum Septemviri, Ægyptiarum Pyramidum inſtar, cum Inſcriptionibus; altera quæ Occidentem Solem ſpectat bipedalibus literis ſic:

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL
VII VIR. EPVLONVM

altera vero quæ Orientem ſpectat ſic, literis multo minoribus:

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO DIEBVS. CCCXXX.
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLAMELAE HEREDIS. ET PONTHI L

a *Lib.* 3. *cap.* 13. *p.* 333. Alexander *a* Donatus noſter, ex cujus recenſione accuratiſſima, ut ſemper, Ceſtianos duos hoſce Lapides retuli, tertium ſuis de Antiqua Roma fideliſſimis & doctiſſimis Commentariis inſeruit, & in Tabula Ceſtiani Sepulcri, quam affert, ſic repræſentavit:

M. VALERIVS. MESSALA CORVINVS
P. RVTILIVS LVPVS. IVNIVS SILANVS
L. PONTIVS MELA. D. MARIVS
NIGER. HEREDES. C. CESTI. ET
L. CESTIVS. QVAE EX PARTE. AD
EVM FRATRIS HEREDITAS
M. AGRIPPAE MVNERE PER
VENIT. EX EA. PECVNIA. QVAM

PRO

PRO SVIS PARTIBVS. RECEPER
EX VENDITIONE ATTALICOR
QVE EIS PER EDICTVM
AEDILIS. IN SEPVLCRVM
C. CESTI. EX. TESTAMENTO
EIVS. INFERRE. NON. LICVIT

De quibus, utpote notiſſimis, nil hic addam. Porticibus peramplis ac longis, hinc atque inde, viam hanc munitam, ornatamque fuiſſe, memoriæ prodidit *a* Livius. Siquidem, Ædiles extra Portam Trigeminam, & Aventinum, Porticum ſtraviſſe, affirmat. Et paullo poſt, *Ædilitas*, inquit, *inſignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi & L. Æmilii Paulli. Multos pecuarios damnarunt: ex ea pecunia clypea inaurata in faſtigio Jovis ædis poſuerunt. Porticum unam extra Portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto*. Et de alia quoque Porticu a M. Tuccio & P. Junio Ædilibus Curulibus erecta, *Judicia*, inquit, *in fœneratores eo anno multa ſevere ſunt facta; accuſantibus privatos Ædilibus Curulibus M. Tuccio & P. Junio Bruto. De mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio poſitæ in cella Jovis, ſupra faſtigium ædiculæ; & duodecim clypea inaurata; & iidem Porticum extra Portam Trigeminam inter lignarios fecerunt*. Lignarios iſtos, fabros fuiſſe credimus, vel cæſores lignorum, forte *Luci Hilerni*, qui extra Portam Trigeminam ſive Oſtienſem fuiſſe videtur, ex illis Ovidii *b* verſibus:

a *Dec. 4. lib. 5.*

b *Faſt. lib. 6. v. 105.*

Adjacet antiqui Tiberino lucus Hilerni:
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.

Neque hinc procul Cacus, Aventinæ timor atque infamia ſilvæ, habitaſſe perhibetur. Frontinus *c* de illo, *Cacus*, inquit, *habitavit locum ubi Salinæ nomen, & Trigemina Porta*. ſiquidem prope hanc etiam Salinæ olim fuerant. In vicinia quoque Oſtienſis Portæ

c *De Aquæductib.*

ac Viæ, Figlinæ fuerunt, quarum ex fractis congeſtiſque teſtis *Teſtaceum* montem, & *Doliolum* ab operum doliariorum fragmentis appellatum, concreviſſe, fama eſt. Et Fanum Veneris Murciæ ſive Myrtheæ, de qua Fabulæ. Ceterum, de mendicis extra Portam Trigeminam, Via Oſtienſi, verſantibus Plinius *a*, *Item*, inquit, *P. Minucio Præfecto Annonæ, extra Portam Trigeminam, unciaria ſtipe collata*. Et ante illum Plautus *b*:

a *Lib.* 34. *c.* 5.

b *In Captei-veis, Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 22.

Vel ire extra Portam Trigeminam ad ſaccum licet;
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum eſt.

Huc eductos Sanctiſſimos Chriſtiani Orbis Principes ac Magiſtros, Petrum & Paulum, dum ob Chriſti teſtimonium ducerentur ad ſupplicium, pervetuſta eſt fama; ut Judæis ibidem degentibus, quos inter etiam multi Chriſtiani occulte habitabant, terrori eorum pœna fieret. Sacellum quoque eodem loco pietas Chriſtiana conſtruxit in quo per pacis oſculum invicem ſeparati ſunt; abducto Petro in Janiculum, ubi Cruci affixus: Paulo vero ulterius, Via Oſtienſi ad locum olim *ad Aquas Salvias* appellatum, ubi, fortiſſime datis cervicibus, glorioſiſſimum Chriſto teſtimonium tulit. Porro hæ Aquæ Salviæ in fundo forte fuerunt Salviæ Gentis Romanæ nobilis, ex qua Marcus Salvius Otho Romanorum Imperator octavus prodiit. Sanctiſſimi vero Pauli pretioſum corpus, in Lucinæ prædio ab ea matrona conditum, a Magno mox Conſtantino magnificentiſſimo ædificato Templo concluſum, in hanc uſque diem Via Oſtienſi, ad ſiniſtram Tiberis ripam, magnis aſſiduiſque Orbis Terrarum univerſi concurſibus celebratur & colitur; innumeris aliis fortiſſimorum Chriſti athletarum, ſimili nece atque cauſſa, ab impiis ſimulacrorum cultoribus peremtis, ad ipſas Aquas Salvias pariter tumu-

mulatis, ſtipatum veluti & comitatum. Jam vero, circa ſecundum Viæ Oſtienſis lapidem, *Vicus* fuit *Gordianus*, ab Gordianis Imperatoribus ſic appellatus; quod aliquando iis ab Imperatoribus Via Oſtienſis, ex parte, lapidibus inſtrata, atque ornata ædificiis fuiſſet: unde *a* etiam *Via Gordiana* ad annos aliquot, adulatione vigente, dicta eſt. In hoc vico templum fuit una cum ſimulacro & ara (cui tamen potiſſimum numini dedicatum, non liquet) atque excelſa inſuper arbore, ad quam Sanctus vir Felix, Chriſtianus Sacerdos, poſtquam variis cruciatibus tortus fuerat, a ſatellitibus capite minuendus, adductus eſt. ut in ejus Actis, Mombritius *b* & Surius. Quæ omnia, arbor ſcilicet, templum, ara, ſimulacrum, ad ipſius Felicis ſanctiſſimas Deo vero preces oblatas, continuo, ingenti prodigio, ab imo ſolo collapſa, in minutiſſimum pulverem comminuta ſunt. Ceterum, tum hoc loco, tum aliis, Via Oſtienſi, plura olim fuere Chriſtianorum Sepulcreta, in quibus fortiſſimorum Chriſti Martyrum corpora per multa ſæcula delituerunt: in Urbem poſtea translata, & honorificentiſſime variis in ſacris Ædibus collocata. quæ ſingula diligentiſſime recenſuit Arringhius *c*. Eadem propter Chriſtiana monumenta Viam Oſtienſem ſacris Chriſtianorum ædibus, poſteriori ævo, frequentiſſimam fuiſſe atque ornatiſſimam novimus; quemadmodum ævo priore fanis profanorum & ſepulcris hinc atque inde fuerat ornata. Quorum inſcriptos aliquot Lapides ſuperſtites infra dabimus. Ab lapide ſecundo Oſtienſis Viæ, lævorſum, incipiebat Via Laurentina Laurentum uſque & mox Ardeam perducens. in qua loca, nunc vulgo *Decimo Porcigliano*, *Capo Cotta*, *Campo Selva*, *Caſtel Romano*, de quibus ſatis in Laurentibus actum eſt. Ad lapidem Viæ Oſtienſis quartum,

a *Ligor. ex Ammiano Marcellin. v. Via.*

b *Mombrit. tom. 1. Sur. tom. 8. 30. Aug.*

c *Rom. Subterran. lib. 3. cap. 4. & ſeqq.*

ſe-

ſepulcrum fuit Antiæ Gentis Antiatis; de quo in Antiatibus dictum eſt opportune. Diverticulo autem hujus viæ, milliario octavo, *Pomonal* Feſtus memoravit; locum nempe deæ Pomonæ dedicatum. de quo nos in noſtro de Lanuvinis libro ſat egimus. Hic & *Puilia Saxa*, & *Ficana*, ſive *Ficulnea* oppidum, (de quibus ibidem) antiquiſſimis temporibus fuerant. Villis non caruiſſe Oſtienſem Agrum ex ſepulcralibus Lapidibus, qui ſepulcris ad exitum villarum, juxta Conſulares Vias exſtructis, apponi conſueverant, Via & Agro Oſtienſi repertis, edocemur. Et de villa L. Cottæ Cicero *a* ad Atticum, *Habet*, inquit, *L. Cotta in Oſtienſi, celeberrimo loco, ſed puſillum loci*. At de Marci Seii villa ſic Varro libro de Re Ruſtica tertio, capite altero: *Appius ſubridens, Quoniam ego ignoro, inquit, quid ſit villa, velim me doceas, ne labar imprudentia, quod volo emere a M. Sejo in Oſtienſi villam. Quod ſi ea ædificia villæ non ſunt, quæ aſinum tuum, quem mihi quadraginta milibus emtum oſtendebas apud te, non habent, metuo ne pro villa emam Oſtiæ in littore Sejanas ædes*. De his ipſis videtur loqui ſæpius Cicero in Epiſtolis ad Atticum. De villa autem Ligariæ Familiæ Ligorius *b* illud protulit argumentum, quod Fundus *Ligarius* nomine, inter Oſtienſium Antiſtitum redditus in Agro Oſtienſi, recenſitus fuerit. Sed jam veteres ſepulcrales Lapides in Oſtienſi olim exſtantes huc adducendi. Itaque Gruterus *c* hos profert. Primum ſub ſtemmatibus viri & fœminæ, in marmorea Tabula ſculptis, his notis; in Oſtienſi, duodecimo fere ab urbe Roma milliario:

a *Lib.* 12. *Epiſt.*

b *v. Ferrara.*

c *pag.* 490.

L. VO-

L. VOLVSEIO	IVLIAE. SP. F
Ↄ. L. DIO. SEV. AVG	THAIDI
IDEM. QVINQVENNAL	
HAVE DIAE	HAVE. THAIS
BENE VALEAS	DII. TIBI
QVISQVIS. ES	BENEFACIANT

a Alterum Oſtiæ in urnula ſic: a *Pag.* 918.

DIIS. MANIBVS
T. MANLI. VALENTIS

Tertium *b* Oſtiæ extra mœnia: b *Pag.* 1156.

IVVENTIA. QVE L. GRYSARIO. VIVA. SE. ET
POST. OBITVM. SVOM. IN. PERPETVOM. DAT
DONAT. FVRIAE. P. L. MVSAE. SORORI. SVAE. SIBI. ET. SVIS
O. P. FVRIVS. P. F. CELER. VIX. ANN. XXI. P. FVRIVS. P. L.
MENOPHILVS. L. SICINIVS. ANTEROS

Quartum *c* pariter Oſtiæ extra mœnia, lectum ſic: c *Pag.* 470. *& rurſum* 1100.

C. SILIVS IVCVNDVS	TI. CLAVDIVS. VITALIS
VI. VIR. AVGVSTAL	FECIT SIBI. ET. LETIAE
FECIT. SIBI ET. LIBER	HOMONEE CONIVGI
LIBERTABVS. POSTE	LIBERTIS. LIBERTAB
RISQ. EORVM	POSTERISQ. EORVM
IN. F. P. XVI.	IN. AGR. P. XXV

HOC. MONVMENTVM. COMMVNE. EST. CVM.
TI. CLAVDIO. VITALE

Quintum, Romæ exſtantem, ad Divæ Agnetis *d* in Foro Agonali: d *Pag.* 446.

D. M.
AGRIAE. AGATHAE
P. OSTIENSIS. THALLVS
TVTOR. SEVIR. AVG. ET

A-

AGRIA. TRYPHOSA
HAEREDES. DE. SVO FECERVNT
B. ET SIBI. M

a *Inſcript. p. 752. cap. 10.*

Fabrettus *a* vero Lapidem recenſet L. Publicii Eutychetis, Oſtiæ in ædibus Antiſtitum Oſtienſium a ſe lectum, his literis. quas nos Oſtiæ, licet truncas & male mutilas, tamen relegimus; & Oſtiæ Tiberinæ nomen, quod Fabrettum fefellit, in iis deprendimus, & appoſuimus, ſupplevimuſque:

MEMORIA
L. PVBLICIVS EVTYCHES. SEVIR. AVGVST
IDEM. Q. Q. STIPVLATOR. ARGENTARIVS
ET. PVBLICIA. EPICTESIS. FECER.
OSTIA - - - - - - - - - - - - - - -
TI - - - - - - - - -

b *v. Pharmacopola.*

Alium Marci Avidii Ulpiani Liberti recenſuit Ligorius, *b* prope Oſtiam detectum:

DIS. MANIBVS. SACRVM
M. AVIDIVS. VLPIANVS. LIBERTVS
THYMACVS. PHARMACOPOLA. ET
IIII. VIR PORTVENS. QVINQ. II.
LOC. SEPVLT. SE. VIVVS. FECIT
SIBI. ET. SVIS. HEREDIBVS. KAL
IVN. L. COSSO. SENECIONE. IIII. ET
L. LICINIO. SVRA. III. COSS.

c *De Ortographh. rat. fol. 51.*

Monumentum vero Lucii Aquillii, Magiſtri Quinquennalis Fabr^um Tignariorum Oſtienſium, recenſuit Aldus Manutius *c*:

L. AQVILLIVS. MODESTVS
MAGISTER. QVINQVENNALIS
COLLEGI. FABRORVM. TIGNARIORVM. OSTIENSIVM
LVSTRI. II. ISDEM. AVGVSTALIS. FECIT
SIBI. ET. AQVILLIAE. L. F. APRAE. PATRONAE. ET
DECIMIAE. SP. F. PRISCAE. CONIVGI. SVAE. ET
SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQ. EORVM

Ceterum, in Agro Oſtienſi lacum cognominem Livius *a* nominavit. inquit enim; Urbis Conditæ IↃXLI. inter alia prodigia Romæ nuntiata, *Oſtiæ lacus de cælo tactus*. Hunc ſacrum fuiſſe memorant; quamquam numen cui fuerit conſecratum, non invenerim. Nomen lacui modo *lo Stagno di Levante*. ſicque appellatur ad diſcrimen alterius lacus, ſive ſtagni, ultra Tiberim & Portum Romanum, quem *lo Stagno di Ponente* nominant. Quamquam aliis hic lacus dicatur *lo Stagno di Maccareſe*, ex eo quod conſtitutus ſit in latifundiis quibus nomen *Maccareſe*; in ditione Gentis nobiliſſimæ, ditiſſimæ, &, quod caput eſt, religioſiſſimæ ac munificentiſſimæ Roſpigliosiæ; de qua Clemens Nonus Pontifex Maximus glorioſe prodiit: cuique de Societate Jeſu Benemerenti, ſaltem nominandæ opportunum hic locum merito quæſivimus & invenimus; præcipue cum hunc ipſum lacum piſcationi peraccommodum, præſentes, eorumdem Principum virorum beneficio, diligenter perluſtraverimus. De *Foro Aureliano* in Agro Oſtienſi oppido, ſeu vico meminit Flavius Vopiſcus in Aureliano: ait enim Aurelianum Imperatorem, qui muros Urbis ampliavit, Forum nominis ſui in Oſtienſi, ad mare conſtituiſſe. quod tamen, brevi, Prætorium publicum evaſit, amiſſo nomine Fori.

a Lib. 27.

Porro dum nuper Oſtienſem Viam atque Agrum coram inviſeremus, nonnulla lapidibus inciſa Monumen-

menta ſepulcralia deſcripſimus ibidem eruta, quæ in Antiſtitum ædibus Oſtiæ, magnam partem, nunc aſſervantur. In quibus tamen rari nihil, quod tollere velis. Sed ne a quoquam deſiderentur, cum Oſtienſia ſint; ecce illa:

I.

C. CAETRONIVS. C. LIB
TELESPHOR
FECIT. SIBI. ET
C. CAETRONIO. CAECILIANO. PATRONO. ET T
CAECILIAE MOSCHIDI PATRONI MEI. B. M. MARIE
CAETRONIAE. GORGENI. COLLIBERTAE. ET
CAETRONIAE. TELESPHORIDI. VERNAE. MEAE. ET
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQVE. EORVM
IN. FRONTE. PED. XL. IN. AGRO. PED. XL

Tabula hæc eſt marmorea perpolita, optimis & grandiuſculis literis inciſa. Ex qua Cætroniam Gentem Oſtiæ olim floruiſſe, non immerito quis colligat. In urnula quoque marmorea has notas legimus:

II.

P. SESTIO P. LIB
BLASTO. FEC
P. SESTIVS. P. LIB
DONATVS ET
SESTIA CHRYSIS
PATRONO OPTIMO

Item in baſi perpulchris literis diſtincta:

III.

C. NAEVIO. P. F. PAL
CLODIO VENERAND
ALEXANDRO
P. CLODIVS VERVS

FLA-

FLAVIVS VENERANDS
FILIO DVLCISSIMO

Et in alio Lapide iiſdem in Antiſtitum ædibus exſtante:

IIII.

D. M.
ATHENODORVS. MACEDON - - - -
F. DORITANVS. FECIT. SIBI. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
IN FRONTE. P. XVIS
IN AGRO. P. XXVIS

Denique in Sarcophago in Via publica exſtante intra muros recentis Oſtiæ, cujus imaginem deſcribi atque hic apponi curavimus:

V.

D. M.
C. COMINIO
SVCCESSO FECI
T. C. COMINIVS
RESTVS. QVIETVS
PASIANVS. PATRI. F

Aras antiquas duas floribus & agnorum capitibus inſculptas, altas palmos quinque, uncias tres, quarum ſingularum diametron, ut ajunt, (ſunt enim rotundæ) palmos duos & ſemis; Sarcophagum latum palmos quinque, uncias quatuor, altum palmos quatuor, uncias tres, figuris notatum; frontemque alterius e pario marmore alti palmos quinque, uncias octo, la-

ti ſive longi palmos novem, figuris item inſculpti invenimus, & eorum exempla deſumenda, dum Oſtiæ eſſemus, curavimus, atque hic adjecimus. Profecto Lapides, unde hæc deſumta ſunt, Oſtiæ ſub dio proſtantes luſtravimus.

CAPUT SEXTUM.

De Oſtienſium Templis aliiſque Vetuſtis Ædificiis.

PRÆTER ea templa quæ variis profanorum numinibus dedicata fuiſſe in Portu Oſtienſi, atque in Sacra Inſula, memoravimus; complura alia his etiam antiquiora, in ipſa Oſtienſi urbe, exſtitiſſe olim, ex ſuperſtite eorumdem aliquo monumento didicimus. In primis itaque, templum Jovis Oſtiæ fuiſſe, patet ex Livio *a*, ajente; Oſtienſium Legatos Romæ nuntiaſſe, ædem Jovis in Colonia Oſtienſi de cælo tactam. Huic autem id templum ſub nomine Jovis Patulcii dedicatum, & cum Junone Patulcia communiter, nos docet vetuſtus Lapis his literis, apud Sponium *b*:

a *Lib.* 32. *ſub init.*

b *Miſcell. ſect.* 3. *pag.* 81.

IOVI. PATVLCIO. ET
IVNONI. PATVLCIAE
D. D. PR. ID. AVGV
C. CAESIO. LONGINO. ET
SEX. DOMITIO. CALVINO. COSS
L. CALPVRNIVS. L. F. PAL.
MESSALINVS
PRAEFECT. FABR. OST
IIII. QVINQ
DE. SENATVS. SENTENTIA

AE-

AEDEM. FACIENDAM
COERAVIT. ET. I. P

Scilicet *curavit & idem posuit*, seu *perfecit*, sive *probavit*. Cujus autem Senatus de sententia factum id intelligi debeat; num Ostiensis, num vero Romani, incertum est. Cum enim aliquid Romani Senatus decreto fiebat, inscribebatur *S. C. Senatus Consulto* communiter; quamquam & aliquando, *De Senatus Sententia* scriptum inveniatur. In Coloniis vero, Concilium Optimatium, non *Senatus*, sed *Curia*; Optimates autem, non *Senatores*, sed *Decuriones* appellabantur. Honoris tamen majoris gratia, Curia ipsa Coloniarum *Senatus* aliquando, sed perraro, vocata est. Unde in præsenti Lapide, de quonam Senatu sermo fuerit, incertum manet. Profecto *Patulcii* vocabulum a *patendo*, quod est *apertum esse*, *in propatulo*, Jani magis proprium, quam Jovis, aut Junonis, fuisse constat. Ovidius *a*: a 1. *Fast.*

Inde vocor Janus: cui cum Cereale sacerdos
Imposuit libum, farraque mista sale;
Nomina ridebis; modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

Ob id potissimum, quod Januis præesse, quæ aperiuntur atque clauduntur, Janus creditus est; quodque celeberrimum ejus Romæ templum, belli tempore, quod fere semper Romanis erat, pateret, apertis januis; pacis vero, clausum servaretur. Ceterum, cur Jovi ac Junoni nomen idem *Patulcii* ac *Patulciæ* in Colonia Ostiensi adtributum, non ita pronum fuerit asserere. Nisi forte benevolentiam horum numinum his titulis captare sibi Ostienses putaverint; innuentes, facilia hæc numina esse; quæque apertum semper, atque patentem clientibus atque supplicibus

suis

ſuis aditum haberent. Eadem autem Juno Patulcia etiam *Siſpita* vocata ab Oſtienſibus fuit. Teſtis Lapis Oſtiæ repertus, inſcriptus his literis *a*:

a *Ap. Spon. Miſc. ſect. 5. p. 81.*

IVNONI. PATVLCIAE. SISPITAE
T. FABATIVS. TABVLARIVS
OST. ET. PROCVRATOR. FISCI
PATRONVS. COLLEG. LENVNCVL
IIII. VIR. QVINQVENN
D. D.

Siſpita hæc Juno eadem prorſus ac *Soſpita* fuit. Cujus cultus ab proximis Lanuvinis, ubi ſummis honoribus in templo magnificentiſſimo colebatur, ad Oſtienſes facile propagatus eſt. De illa fuſiſſime in noſtro de Lanuvinis libro egimus. Porro eadem hæc numina, Jovem atque Junonem, etiam ſub communibus *Optimi Maximi* ac *Reginæ* titulis coluerunt Oſtienſes. Sic enim Lapis alius, antiquitus iis dedicatus, exſtabat *b*:

b *Spon. ſect. 5. pag. 175.*

IOVI. OPTIMO. MAXIMO. ET
IVNONI. REGINAE
SACRVM
M. CORNELIVS. M. F. M. N
LENTVLVS. PRAEFECT
VS. FABR. OSTIEN
IIII. VIR. QVINQ
SVA. PECVN
V. S.

Poſtremas haſce literas V. S. *Votum ſolvit* interpretamur. quæ Lapidum antiquorum peritis abunde conſtant. Junonem ipſam Reginam cum Neptuno con-

conjunxit, in alia dedicatione, Publius Annius Carus, Neptuni ejuſdem ſacerdos, Oſtiæ; dedicatio tamen ſoli Junoni inſcripta eſt in hæc verba *a*:

a *Spon. Sect. 5. pag. 175.*

IVNONI. REGINAE
D. D. K. I.
P. ANNIVS. P. F. PAL
CARVS. SACERDOS
NEPT. PATRON
COLON. OST. QVINQ
ITER. FL. VESPASIANO
AVG. II. ET. TITO
VESPASIANO. CAES. COS

Nempe V. C. DCCCXXIII. Chriſti LXX. Factam fuiſſe hanc dedicationem Kalendis Januariis, vel Juniis, eruimus ex notis illis D. D. K. I. utrumque autem menſem Junoni ſacrum peculiariter fuiſſe antiquitus, demonſtravimus in noſtro de Lanuvinis libro, ubi de Junonis Soſpitæ templo. Præterquamquod Kalendarum cujuſque menſis tutelare numen erat Juno, penes Latinos, juxta illud *b*:

b *Ovid. 1. Faſt.*

Vindicat Auſonias Junonis cura Kalendas.

Quamquam autem ex præſenti dedicatione Junoni facta ab P. Annio ſacerdote Neptuni, liquido non conſtet, Oſtiæ Neptuni templum exſtitiſſe, quod Annius alibi Neptuni ſacerdos eſſe potuit; id tamen & ratio ſatis perſuadet; in urbe maritima ſcilicet, tantæ opulentiæ ac celebritatis, qualem Oſtiam Coloniam fuiſſe ſcimus, templum Neptuno, maris deo, atque illud quidem inter præcipua non defuiſſe; & dedicatio ipſi Neptuno facta, apud Oſtiam reperta idem extra omnem dubii aleam collocavit *c*:

c *Fabret. c. 10. pag. 680.*

NE-

NEPTVNO. CONSER
EQVEST. ORDIN
L. COILIVS. L. F. PAL. PRI
SCVS. II. VIR. CAPITAL
OSTIENS
NAV - - - - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - CAVSS
- - - - - - - - - - - - CVRAVIT

De quonam vero Equeſtri Ordine Lapis fuerit intelligendus, eſt dubium. Num enim in Oſtienſi Colonia Equeſtrem Ordinem fuiſſe dixerimus, quemadmodum Romæ erat? viderint harum rerum peritiores veſtigatores.

Ceterum, celebre Caſtorum templum Oſtiæ conſtructum; circa quod ludi quotannis committerentur, carmina quædam, nec inelegantia illa quidem, in veteri marmorea Tabula Oſtiæ proſtante inſculpta, nobis fidem faciunt. Sunt autem hujuſmodi *a*:

a *Gruter. p.* 99.

Littoribus noſtris quoniam certamina lætum
Exhibuiſſe juvat, Caſtor, venerandeque Pollux,
Munere pro tanto faciem certaminis hujus
Magna, Jovis proles, veſtra pro ſede locavi
Urbanis Tatius gaudens me faſcibus auctum,
Neptunoque patri ludos feciſſe Sabinos.

Ex quibus habes Tatium virum Conſularem, imo etiam Conſulatus ſui tempore, in gratiarum veluti actionem, quod ope Caſtorum ac Neptuni ad tantam dignitatem fuiſſet evectus, ludos Sabinos Oſtiæ de ſuo celebrari juſſiſſe. Quinam vero potiſſimum fuerint hi ludi Sabini, non ſatis diſpicio. Fabrettus pro illa voce *Sabinos* legit *Saturno*. verum ſententia præcedens huic lectioni repugnat omnino. Ego ve-

ro

ro neutram puto in Lapide inſculptam fuiſſe; verum quia injuria temporis eæ ultimæ literæ corroſæ fuerint, idcirco in lectione illarum variatum a ſummis viris. Quid tamen potiſſimum ibi ſupplendum, Deus novit. Jam vero ad Caſtorum templum Oſtiæ multos fuiſſe nautas, atque vectores, ultro citroque navigantes, veriſſimillimum eſt; ut felicem navigationem impetrarent; vel, pro felici obita, gratias agerent; ac vota quæ in præſens vitæ diſcrimen adducti, in nigro jactati turbine, feciſſent, eiſdem, erepti ex undis, perſolverent; eorumque templo votivas tabellas appenderent. De hujuſmodi ſacrificiis Ammianus *a* Marcellinus, *Dum Tertullus*, inquit, *apud Oſtia in æde ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit*. perinde ac ſi horum dæmoniorum imperio, non autem Dei unius Optimi Maximi nutibus, mare & venti obedirent. at hæ profanorum hominum tenebræ. Ajebant enim de Caſtoribus Ledæ pueris *b*:

a *Lib.* 19.

b *Horat. Od.* 12. *lib.* 1.

-- -- Quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor;
Conſidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax (ſic dî voluere) ponto
Unda recumbit.

De Caſtoribus ſatis multa in noſtro de Coranis libro, ubi de templo Caſtorum, apud Coranos ex parte adhuc ſuperſtite, ſermonem habuimus. quare iiſdem repetendis nunc parcimus. Id tantum addendum, Tatium Conſularem hos verſus ſub pictura quæ certamina ab ipſo exhibita Oſtiæ repræſentabat, ante Caſtorum templum ibidem, collocari juſſiſſe.

Venerem quoque Oſtiæ templo cultam, non inanis eſt conjectura. Nam præterquamquod nata mari habebatur hæc dea, maritimis idcirco in urbibus

passim culta; Ostienses peculiari quadam ratione ejus numini sese devotos profitebantur. scilicet, quod constans apud illos vetustissima obtinuisset fama, Æneam, Veneris filium, errorum suorum terminum apud ostium Tiberinum, juxta quod Ostia Colonia postea fundata fuerat, tandem aliquando inveniisse, *a Matre dea monstrante viam*. Unde etiam multa in Latino littore Veneris templa fuisse constructa, antiquissimis temporibus, comperimus. De Ostiensi autem, sub nomine *Veneris Fœcundæ* erecto, Ligorius *b* meminit; utque suæ narrationi fidem faciat, reperta fuisse testatur Inscriptionum fragmenta, Ostiæ, a Cardinali Bellajo, Antistite; in quibus *Veneris Fœcundæ* mentio fiebat.

b *Virg. Æn. lib. 1. v. 382.*

b *v. Afrodisia.*

Certe Tiberino Patri & Nymphis sacrum aliquod ædificium dedicatum, templum ne, an sacellum, an aram, sequens Inscriptio, Ostiæ effossa, videtur innuere *c*:

c *Ligor. v. Tiberi.*

PATRI. TIBERINO. ET. NYMPHIS
SACRVM
PRAEF. COLL. FABR. NAV. OSTIENS
CVRAN. F. APRONIANO. ET
ARRIO. MODESTINO. ET
SILVIO MAIORANO. F. L.
TITINIO. VIOLENTE. IIII. VIR. QVINQ

Aliis, demum, pluribus templis celebrem urbem Ostiam fuisse, rudera ipsa ingentium molium, adhuc exstantia, dubitare non sinunt. De quibus Lipsius *d*, *Vidimus ipsi*, inquit, *apud Ostiam & Ardeam rudera; & per silvas illas ac vepreta quot columnæ, aut earum fragmenta, cryptæ, porticus & disjecta ædium membra!* Inter alia vero publica ædificia, excelluisse illa crediderim, quæ a Collegiis artificum navalium, communibus sumtibus, excitata fuerant; quo conveniebant,

d *De Magnitudin. Rom. cap. 14.*

de

de propriæ cujuſque artis rebus tractaturi. Quod *coire* proprio vocabulo dicebatur. Idque peculiari Romani Senatus Conſulto illis permiſſum, teſtatur antiquus Lapis, Cajo Julio Philippo ab iiſdem, ſub ejus Statua, Oſtiæ appoſitus ſua ipſorum pecunia:

C. IVLIO
PHILIPPO
EQVITI. ROMANO
CORPVS. FABRVM
NAVALIVM. OSTIENS
QVIBVS. EX S. C. COIRE LICET
S. P. P.

In ædificiis etiam quæ *Navalia* dicebantur, multum Oſtienſis urbis ſpatium occupatum fuiſſe crediderim. quod profecto veriſimillimum fiet cuilibet attendenti, copioſiſſimas atque inſtructiſſimas Romanorum Claſſes, quibus Africæ atque Aſiæ tantum, maritimis prœliis, adepti ſunt, Oſtiæ omnes primum, ita dixerim, enatas atque munitas fuiſſe. antequam, ſcilicet, aliis maritimis in urbibus ædificari cœpiſſent. Erant autem ædificia ejuſmodi ſeparata atque diſtincta invicem, pro varietate navium, quæ ibidem fabricabantur, aut adornabantur. Proinde *Trieremium* aliud, ubi Triremes; aliud *Trampiſium*, ubi exordia, ſive moduli navium, *trampios*, Græco vocabulo, dicta, conſtruebantur; inter cetera, Oſtiæ exſtitiſſe navalia, Ligorius *a* prodidit. Fuiſſe autem videtur *trampium* veluti ſpina navis, cum ſolis coſtis ac tranſtris; nobis nunc *lo ſcafo*, *il fuſto*. Ex qua voce etiam, Italica derivata videtur locutio *trampani*, & *camminare ſu i trampani*, ligneis ſcilicet cruribus, quas *grallas* Latini, Græco alio vocabulo, dixerunt, alte ſuppoſitis, tranſ-

a v. *Trieremio, & Trampiſio.*

trorum inſtar. Porro publica hæc ædificia exornata omnia columnis, porticibus, areis, foris, tribunalibus, ac præcipue Statuis, Benemerenti cuique Coloniæ Patrono ac Fautori poſitis, certiſſimum eſt. Quarumdam ex his appoſitæ baſes, titulis Clarorum Virorum inſcriptæ, ab eruditis viris nobis conſervatæ fuerunt. quas hic proferimus. Et quidem Hadriani Cæſaris & C. Julii Philippi monumenta hujuſmodi jam recenſuimus. Sexti autem Cornelii Inſcriptio extra Oſtiam, in templo, ad ripam fluminis, mare verſus, reperta, ſic erat *a*:

a *Grut. pag.* 396.

SEXT. CORNELIO. SEX. F. NIGRO
VI. VIRO. AVG. IDEM. Q. Q
HILARIVS. ALBANVS
PATRONO. DE. SE. BENE
MERITO. POSVIT

Longiſſimam vero Marci Baſſæi Statuæ appoſitam Inſcriptionem, quia, num vere Oſtiæ, num alibi ejus Statua fuerit erecta antiquitus, certum non inveni, primis tantum titulis, quantum ad Oſtienſia pertinet monumenta, ſatis ſit innuiſſe *b*:

b *Idem pag.* 374. *& Merul. Coſmograph. Par.2. lib.4. cap.22. pag. mihi* 418. *cui dicitur Inſcriptio Neapolitana.*

M. BASSAEO. M. F.
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P.
II. VIR MVNIC. PROC AVG.
VIAE OST. ET. CAMP TRIB. MIL. LEG

Cetera. At vero aliam, ſub Statua Publii Martii Philippi Oſtiæ olim certo appoſitam, ibidemque repertam, integram addemus; & ex parte, ubi opus, nonnihil etiam illuſtrabimus. Ea ſic habuit *c*:

c *Gruter. p.* 437. *& rurſ.* 1027. *reperta in baſi Statuæ an.* 1590. *Oſtiæ.*

P.

P. MARTIO. QVIR
PHILIPPO
CVRATORI. VIAE. PRAENESTINAE
AEDILICIO. CVRVLI V. Q. AB AERARIO
TRIBVNO. FABRVM. NAVALIVM. PORTENS
CORPVS. FABRVM. NAVALIVM
OSTIENS. QVIBVS. EX. S. C. COIRE LICET
PATRONO OPTIMO
P. P.

In hujus dextro latere hæc addita:

DEDICATA. III. IDVS. APRILIS
SCAPVLA. TERTVLLO. ET. TINEIO. CLEMENTE. COS
CVRĀ. AGENTE. VALERIO. GALAGAERO. LIB
ET C. VETTIO. OPTATO. M. CLODIO. MINERVALE
Q. Q. PER

In hoc Lapide, notæ V. Q. de *Viro Quæſtorio* videntur intelligendæ. Cum enim Martius Philippus *Ab Ærario* dicatur; eidem Viri Quæſtorii titulum ac munus aptari debere videtur. Viros namque Quæſtores ab Ærario, Prætorum loco, Claudius Imperator reſtituit. Quod autem Martius, *Tribunus Fabrum Navalium Portenſium*, in Lapide videatur inſcribi, id quidem mihi noviſſimum. Scilicet, Tribuni munus & nomen Romana florente Republ. & mox Imperio, vel Magiſtratui ad jura Plebis tuenda in Urbe, vel millenario Duci militum in exercitu, ſeu Seviro Legionis Præſidi, vel denique ſupremæ Reipublicæ poteſtati, olim conveniſſe, ſcimus. Unde nam autem Corpori artificum Patrono, Tribuni nomen aptatum, non video. niſi forte hi Portenſes ſive Portuenſes fabri, quorum dicitur Tribunus Martius Philippus, iidem milites fuerint, qui in exercitu maritimo curandarum etiam ac ſarciendarum navium curam haberent. quod tamen eſt inveriſimile: cum operæ iſtæ in exercitibus, tam terreſtri, quam maritimo,

mo, vel distinctæ a militibus essent, atque inter lixas & calones, infra scilicet militum censum, computarentur; vel certe, si milites etiam Castra vel Classem munirent, numquam potius *fabri*, quam milites, nominari voluere. Verum quidem est, aliquando, sequioribus præsertim Romani Imperii sæculis, *Tribuni* nomen ad aliorum etiam, præter præcipuos illos militum & plebis, munerum Præsides, propagatum fuisse. cum in Lapidibus legantur *Tribuni Ærarii*, *Tribunus rerum nitentium*, *Tribunus voluptatis*, *Tribunus Fori suarii*, aliique : quibus ex nostro hoc Lapide addendus erit *Tribunus Fabrum Navalium Portensium*. Porro Consul iste, quem præsens Marmor *Scapulam Tertullum* nominat, in Fastis Flavius Tertullus dicitur, & Consul fuisse, Urbis Conditæ nongentesimo quadragesimonono, significatur. Siglæ autem illæ ultimæ Q. Q. PER. *Quinquennalibus Perpetuis* significant. quod nempe Cajus Vettius Optatus & Marcus Clodius Minervalis Duumvirum sive Quatuorvirum Magistrorum Quinquennalium perpetuo munere fungerentur, in Colonia Ostiensi. Quibus lustrum condere, sacra facere, ludos celebrare, aliaque id genus, de quibus sæpe alias in nostro hoc Opere, præstare, officium fuit.

Omnium tamen honorificentissime, Cneo Sentio Statua publice, Ostiensi in Colonia, posita est. In hujus basi omnium fere Corporatorum artificum, qui Ostiæ Collegia habebant, mentio facta. Illam proinde opportuniori loco in sequentibus, ubi fuse de his Collegiis acturi ex merito sumus, melius recensebimus atque explicabimus.

CA-

Tab. XI.

Iouis et aliorum deorum Sculptura antiquo opere Ostiæ ante Antistitum Aedes Sub Porticu extans. ex Ruinis Coloniæ Ostiensis.





A. Ara Antiqua Ostiæ iuxta Antistitum Aedes adhuc extans.
B. Veteris Sarcophagi, in quo sepulta mulier, ibidem extantis, figura.

Tab. XIII.

Vetus Sarcophagus Ostiæ intra muros extans in Via Publica. & Ruinis Ostiensium.

Tab. XLV.

Veteris Sculpturæ Fragmentum, quod Ostiæ intra moenia Parieti priuatæ Domus insertum adhuc uisitur. ex Ruinis Ostiensium.

Tab. XV.

Herculis, siue alterius Herois Leonem suffocantis Imago rudi opere sculpta et Ostiæ An. Sal. MDCCXXXII. in Suburbana Vinea extans & Ruin. Ostiens.

Tab. XVI.

Antiquæ Sculpturæ Pars, in qua, Ducis Maritimi Victoria et Triumphus exhibetur Ostiæ extans in Suburbana Vinea An. Sal. MDCCXXXII. ex Ruinis Ostiensium.

CAPUT SEPTIMUM.

De Collegiis sive Corporibus Artificum Coloniæ Ostiensis.

NIHIL est quod Ostiensis Urbis opulentiam, frequentiam, & maritima commercia nobis magis commendaverit, quam plurimorum artificum, mercatorum, aliorumque Corporatorum hominum Collegia, quæ Ostiæ constituta antiquitus fuisse, cognovimus. Præter illa enim quæ postea in Portu Ostiensi, de novo, sub Cæsaribus congregata fuerunt, quæque Portuensia postmodum dicta sunt; quorum monumenta, ubi de Portu Ostiensi, cursim recitavimus; fuisse Ostiæ antiquitus Collegia dicimus Naviculariorum maris Hadriatici, Scribarum, Cerariorum, Librariorum, Lictorum, Viatorum, Præconum, Argentariorum, Negotiatorum Vinariorum ab Urbe, Mensorum Frumentariorum Cereris Augustæ, Corporatorum Scaphariorum, Lenuncullariorum Trajecti Luculli, Dendrophorum, Togatorum a foro, Desacomariorum, Libertorum, & Servorum Publicorum, Oleariorum, Juvenum Cisianorum, & Veteranorum, Augusti Beneficiariorum, Procuratorum Augusti, Piscatorum Propolarum. Quæ omnia marmor sub Statua Cnei Sentii Felicis, Ostiæ, appositum, ibique e ruderibus erutum R. S. An. CIↃIↃLXXXXVI. nunc Florentiæ apud Rubeos servatum, singillatim nominavit *a* :

a Fabrett. Inscript. cap. 10. pag. 731. & Gorius Inscript. Etrusc. par. 1. pag. 308.

CN. SENTIO. CN. FIL
CN. N. TER. FELICI
DEC. DECR. AEDILICIO. ADL D. D. D. ADL
Q. A. OSTIENS. II. VIR. Q. IVVENVM
HIC. PRIMVS. OMNIVM. QVO. ANNO. DEC. ADL. EST. ET
Q. A. FACT. EST. ET. IN PROXIM. ANNVM. II. VIR. DESIGNAT. EST
QVINQ. CVRATORVM. NAVIVM. MARINAR. GRATIS ADLECT.
IN. TER. NAVICVLAR. MARIS. HADRIATICI. ET. AD. QVADRIGAM
FORI. VINARI. PATRONO. DECVRIAE. SCRIBAR. CERARIOR
ET. LIBRARIOR. ET LICTOR. ET. VIATOR. ITEM. PRAECONVM. ET *sic*
ET. ARGENTARIOR. ET. NEGOTIATOR. VINARIOR. AB. VRBE
ITEM. MENSOR. FRVMENTARIOR. CERERIS. AVG. ITEM. CORPOR
SCAPHARIOR. ET. LENVNCVLARIOR. TRAIECT. LVCVLLI. ET
DENDROPHORVM. ET. TOGATOR. A FORO. ET DE. SACOMAR
ET. LIBERTOR. ET. SERVOR. PVBLICOR. ET. OLEARIOR. ET. IVVEN
CISIANOR. ET. VETERANOR. AVG. ITEM. BENEFICIARIOR. PROC.
AVG. ET. PISCATOR. PROPOLAR. CVRATORI. LVSVS. IVVENALIS
CN. SENTIVS. LVCILIVS
GAMALA. CLODIANVS. F
PATRI. INDVLGENTISSIMO

Ex his Collegiis, artibus, ac muneribus permulta perſpicua ſunt, nec in illis illuſtrandis immorandum. Quædam tamen, non ita omnibus nota ac perſpecta, hic aliquantulum explicabimus. Et in primis *Scapharii* videntur fuiſſe vel artifices ſcapharum, parvarum nempe cymbarum confectores, vulgo *battelli* aut *barchette*, vel ductores earumdem. Scapham vero in Nautica nominavere parvam illam naviculam quæ magnis navigiis ſocia duci conſuevit, quaque interdum

dum nautæ utuntur ad majus ipsum navigium per funes trahendum. vulgo *remurchiare*; & *scaphæ* nomen *remurchio*, *lancia*, *battello*. *Lenuncularii* vero *Trajecti Luculli* videntur fuisse Nautæ, sive Portitores, qui minimas cymbas, *Lenunculos* appellatas, adhibebant, ad vectores viatoresque transmittendos ad Lucullanum. Quod ubi potissimum fuerit, non est facile decernere. *Lucullanum* dicta est parva Insula juxta Neapolim, quæ ponte etiam aditur; modo *Castel dell' Ovo*. *Luculli deliciæ* prope *Circejum Promontorium* loca ad Circejum lacum, nunc *Lago di S. Maria di Suresca*, appellata sunt; ad quas per parvum portum subibatur navigiis, ut nunc quoque tot post sæcula, quibus oppletus fuerat arenis, pervius est factus sapientia atque auctoritate Caroli Collicolæ Cardinalis amplissimi. *Trajectus* etiam est ad Lirim amnem, vulgo *il passo del Garigliano*; & ab *Trajectu*, oppido in radice montis juxta sedenti, nomen *Trajetto*. Quod tamen idem antiquitus *Trajectus Luculli* dictus fuerit, non invenio. Forte Trajectus hic Luculli, de quo Lapis, locus fuit maritimus vel fluviatilis prope Ostiam; de quo tamen nulla nobis memoria superfuit. *Dendrophori* erant artifices, qui silvas cædebant, arbores deportabant ad navalia, e quibus Classes conficerentur; carbones etiam torrebant, succendebant fornaces, aliaque id genus præstabant ad Bellicam maritimam pertinentia. Hos in antiquis Lapidibus cum fabris Ferrariis, Tignariis & Centonariis conjunctos sæpius legimus; & Constantinus Imperator eosdem Collegio Fabrum Centonariorum adnecti jussit. Munus tamen horum præcipuum, a quo & nomen desumserant, *arbores comportare*, fuisse novimus. De his in nostra Tabula Antiatina Illustrata meminimus, & in Præfatione etiam ad Lectorem Historiæ Veteris La-

tii parte quarta. *Desacomarii* autem quid fuerint, apud Antiquitatis eruditos interpretes non inveni quidem; si tamen nominis originem spectes, *Ponderatores*, sive Bajuli in statera pondera attollentes & expendentes fuisse videntur. σήκωμα enim, quod Dorice σάκωμα, *pondus* significat, sive plumbum illud, aut æs aliud quod in stateris dependet, ad pondera rerum examinanda & decernenda. Διασηκάω autem *manu in statera pondus exquiro* aut *vestigo* significat. unde *Desacomarios* recte *ponderatores* interpretaberis. Cujus sententiæ, postquam hæc jam scripseramus, invenimus nuperrime fuisse V. Cl. Antonium Mariam Salvinum in ejusdem Lapidis adnotationibus. Cisiani vero, juvenes & veterani fuere ductores rhedarum sive curruum meritoriorum, qui ultro citroque Ostiis Romam viatores ducebant; *a Cisiis* curruum specie. nobis modo *Vetturini*, *Noleggiatori di Caleſſi*. *Beneficiarii* porro milites erant, qui Tribunorum beneficio promovebantur ad ulteriores in militia gradus; quamvis ea merita omnia non haberent quæ leges militares in promovendis requirebant. Num autem de his in nostro Lapide sermo fuerit, dubitari potest; cum hi nullius artis fuerint artifices. Cum tamen in eodem & Scribas, & Lictores, & Viatores, & Libertos, & Servos publicos nominatos, ac simul cum Scaphariis, & reliquo maritimo populo conjunctos legamus; mirum non fuerit, si etiam milites beneficiarios intellexerimus. *Procuratores Augusti* illi dicebantur qui Cæsaris nomine negotii aliquid procurarent. *Piscatores* vero *Propolæ* sic appellati ad discrimen illorum qui tantum Piscatores erant, pisces nempe in mari fallentes retibus; non tamen in macello, aut foro piscario vendebant captos. at *Piscatores Propolæ*, nobis modo *Pesci-vendoli*. Denique Collegium Ostiæ fuisse innui-

nuitur horum omnium nobiliſſimum, & jucundiſſimum, quo Juvenes Oſtienſis Coloniæ variis luſibus exercerentur; puta, diſco, pila, folle, trigone, pancratio, lucta, gladiis, ſaltu, equo, ceteriſque ejuſmodi. Quod Collegium, ut nobiliſſimum omnium recitatorum, Cneus Sentius Lucilius Gamala ultimo loco, tamquam omnium digniſſimo, in Cnei Sentii patris tot titulis nominandum, atque adeo marmori incidendum, curavit. Niſi malis interpretari de Ludo Juvenali ab Nerone inſtituto, & per Italiæ urbes deinceps admodum propagato, vel de Loco ubi talis ludus fiebat. Sicut fuit Romæ *Ludus Matutinus*, locus ita vocatus ubi matutini ludi fiebant. Et Ludi Gladiatorii dicti ſunt ſepta & Ergaſtula in quibus detinebantur Gladiatores. Unde ab Spartaco & Oenomao fractum Ludum Gladiatorium, & ſervile bellum ſuſceptum Florus, aliique Romanæ Hiſtoriæ ſcriptores memorant. Jam vero ex his Collegiis Collegium Lenuncullariorum numeroſiſſimum fuiſſe videtur. Hujus inſignis Tabula infixa parieti ſacræ Ædis Oſtienſis, Patronorum, Quinquennalium & Plebis diſtincta nomina legenda præbet *a*:

a *Gruter.* p. 1077.

MV. ACILIO. GLABRIONE. M. VALERIO. HOMVLO. COS
ORDO. CORPORATORVM. LENVNCVLARIOR
TABVLARIORVM. AVXILIARES OSTIENS.
PATRONI.
M. SEDATVS. C. F. SEVERIANV S
T. PRIFERNIVS. SEX. F. PAETVS. ROSIANVS. GEMINV S
M. SEDATIVS. M. F. SEVERVS. IVLIVS. REGINV S
C. AELIVS. C. F. FVSCIANV S

L. VOLVSIVS MARCIANVS Q Q
L. IVLIVS MEMOR M. CORNELIVS M. F.
M. CIPIVS PROCLIANVS. SECVNDVS
T. AVRELIVS. AVG. LIB. STRENION
L. MARIVS GERMANVS
QVINQ. PERP.

M. CORNELIVS. EPAGATVS
QVINQ.
M. ANTISTIVS AELIVS.
PLEBS.

M. Lollius Marinus.
C. Septimius Trophimus.
L. Valerius Severus.
C. Vatronius Junianus.
M. Lollius Criſpinus.
L. Aebutius Coſmus.
C. Julius Agathemerus.
M. Cornelius Epigamus.
L. Fulvius Cinnamus.
C. Cornelius Felix.
P. Fuficius Felix.
M. Cornelius Felix.
L. Julius Memor.
M. Cornelius Secundus.
T. Cornelius Felix.
A. Herennulejus Erucius.
L. Cominius Caecilianus.
L. Valerius Proculus.
C. Cornelius Daphnus.
C. Boberius Marcellinus.
Ti. Claudius Epaphroditus.
L. Sercudius Proculus.
C. Tuccius Antiochus.
C. Maſurius Hyginus.
Cn. Tullius Martialis.
M. Cornelius Capito.
M. Cipius Natalis.
L. Publiſidius Phaebus.
C. Julius Amaranthus.
T. Cornelius Paulinianus.
M. Publicius Primitivus.
T. Cornelius Felix.
A. Herennulejus Proculus.
P. Fuficius Felix.
L. Furius Martialis.
T. Flavius Eleuther.
M. Cornelius Elanius.
L. Julius Julianus.
L. Atinius Atinianus.
C. Vatronius Creſcens.
T. Manlius Primus.
L. Julius Anatellon.
L. Nonius Maximus.
Cn. Sergius Oneſimus.
M. Publicius Marcellinus.
P. Aurelius Venuſtus.
T. Culciſcius Eubulianus.
T. Cornelius Epitectus.
M. Cornelius Fidelis.
M. Publicius Aurelianus.
P. Cornelius Hedemonus.
P. Cornelius Phaebus.
C. Ruſticellius Primitivus.
L. Julius Victor.
C. Vatronius Creſcens.
L. Julius Florentinus.
P. Freganius Hia.
L. Valerius Capitolinus.
Ti. Claudius Mela.
T. Cornelius Fauſtus.

T.

T. Cornelius Florus.
A. Mucius Majus.
P. Fuficius Agilis.
C. Cornelius Felix Lib.
D. Statilius Pompejanus.
Mu. Lollius Adauctus.
C. Vatronius Agathemer.
L. Publicius Eutyches.
M. Antiſtius Seleucus.
C. Vatronius Junianus.
Cn. Cretarius Erucius.
M. Antiſtius Creſcens.
M. Antiſtius Eugramus.
M. Antiſtius Lucrio.
M. Cornelius Hermaiſcus.
L. Julius Felicianus.
Tib. Claudius Juvenis.
P. Freganius Lucrio.
D. Statilius Auguſtalis.
A. Herennulejus Philetianus.
T. Cornelius Cornelianus.
M. Cornelius Epagathio.
M. Cornelius Fortunatus.
M. Antiſtius Aelianus.
M. Antiſtius Maritimus.
M. Licinius Hedianus.
M. Cipius Felicio.
C. Firmanius Epaphroditus.
L. Publicius Victor.
A. Herennulejus Vettianus.
M. Lollius Marinus F.
T. Manlius Manlianus.
L. Aurelius Aprilis.
A. Publicius Januarius.
M. Publicius Oſtienſis.
L. Furius Primitivus.
M. Cipius Hermes.
C. Clodius Carpus.
M. Gavius Succeſſus.
C. Cordius Felix.
C. Marcius Jovinus.
L. Julius Democritus.
L. Valerius Marcellus.
C. Caelius Sura.
L. Plaetorius Philetianus.
P. Cincius Saturninus.
T. Cornelius Felix Lib.
T. Cornelius Felix Lib.
Q. Marcius Rufinus.
C. Torquatus Euhemer.
M. Herculius Feſtus.
Mu. Lollius Criſpinus.
C. Maſurius Secundus F.
M. Cipius Natalis Jun.
M. Cipius Natalianus.
T. Culciſcius Creſcens.
T. Cornelius Primigenius.
T. Critonius Creſcens.
L. Manlius Euchariſtus.
C. Volumnius Pius.
L. Verus Aemilianus.
T. Cornelius Paulinus.

Pro-

Profecto ter ſaltem in Faſtis Conſularibus M. Acilius Glabrio Conſul notatur. Fuere autem ejuſdem nominis pater & filius. alter quidem Conſul cum Trajano V. C. DCCCXLIV. Chriſti LXXXXI. alter cum C. Bellicio Torquato triginta tribus annis poſt, & ſecundo cum Commodo Imperatore. Verum cum Homulo Collega M. Acilium Glabrionem Conſulem, de quo noſter hic Lapis meminit, in Faſtis non reperi: ſed Sex. Acilium cum C. Valerio Omullo V. C. DCCCCVI. Chriſti CLII.

Monumentum vero L. Aurelii Veri ab Collegio Tignariorum Oſtienſium eidem Imperatori poſitum, & hoc Collegium Oſtiæ peculiariter floruiſſe ac viguiſſe ſignificat. Exſtabat Florentiæ, eodem multis jam ſæculis translatum, in Tabula marmorea alta pedes circiter tres, lata pedes duos, uncias quatuordecim, inferius fracta, infixa ad Divi Joannis in Fonte, unde Cl. V. Antonius Franciſcus Gorius deſcripſit, & Inſcriptionum Etruſcarum parte prima, pagina trecenteſimadecima ſic recenſuit:

IMP· CAESARI
DIVI. ANTONINI. PIJ. FIL
DIVI. HADRIANI. N.....
DIVI. TRAIANI. PARTHIC....
DIVI. NERVAE. ABNEPOTI
L· AVRELIO· VERO
AVG. ARMENIAC. PARTHIC
MAXIMO. MEDICO. TRIB. POT. $\overline{VI}$.
IMP. $\overline{V}$. COS. $\overline{II}$. DESIGNAT. III PROCOS
COLLEG· FABR· TIGN· OSTIS
QVOD PROVIDENTIA. ET LI .....

TE-

TESVA INDVISFRIT - - - - - - - - - - -
- -
- -
- - - - - - - - - - - - - - - - - - -

CAPUT OCTAVUM.

De Tiberi Flumine, Veteris Latii limite Occidentali.

Lauditur Vetus Latium, ab Occidentali plaga, Tiberi flumine, quod Latinam regionem ab antiqua Etruria disterminat. Celeberrimi fluvii longam atque minutam descriptionem hic apponere, supervacuum; quando Historici fere omnes Latini, ac multo magis Poetæ, in ejus laudes effusissimi fuerunt. Breviter, nihilominus, ab Ostiis Tiberinis ad Fontes usque retrocedentes, ex iis deinde ad Ostia eadem, cursim iter hujus fluminis observando, remeabimus. Hoc enim postulare videtur limes regionis Latinæ a nobis in his libris descriptæ; quod neque doctissimorum hominum caret exemplis. ac nominatim eruditissimi atque accuratissimi Philippi *a* Cluverii, cujus nos vestigiis insistentes, hæc de Tiberi proferemus. Ac primo quidem multi nominis hic fluvius fuit. Siquidem *Dehebris*, *Tebris*, *Teberis*, *Tibris*, *Tiberis*, *Thymbris*, *Tiberinus*, *Albula*, *Rumon*, *Serra*, *Terentum* aliquando fuit appellatus. nunc vulgo constanter *il Tevere*, & Italico carmine *il Tebro*. De horum nominum origine varii varia. Communior sententia fert, hunc fluvium *Albulam* prius vocatum ab *albo* aquarum *colore*, quæ nivibus præcipue augerentur. *Tiberim* deinde sive *Tiberinum* appellatum fuisse, ex casu Tiberini Albanorum Regis in ejus aquis demersi. Virgilius: *b*

a *Ital. Antiq. lib. 2. cap. 2. pag. 694.*

b *Æn. lib. 8. v. 330.*

Tum

Tum reges, asperque immani corpore Tybris;
A quo, post, Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.

Ovidius, Fastorum secundo:

Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis
Reddidit.

Quam famam Historici etiam gravissimi secuti sunt. Nam Varro *a*, *Sunt*, inquit, *qui Tiberis priscum nomen Latinum Albulam vocatum, literis tradunt. posterius, propter Tiberinum, Regem Latinorum, mutatum; quod ibi interierit. nam hoc ejus, ut tradunt, sepulcrum.* Et Livius libro primo, de Albanis Regibus locutus, *Tiberinus*, inquit, *in trajectu Albulæ amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit.* Denique, omissis ceteris, Festus, *Albula*, inquit, *Tiberis fluvius dictus ab albo aquæ colore: Tiberis autem a Tiberio Silvio Rege Albanorum; quod is in eo exstinctus est.* Unde etiam sæpissime ab auctoribus fluvius Tiberis, *Pater Tiberinus*, & *Tiberinus amnis*, ac sine addito, simpliciter *Tiberinus* est appellatus. *Dehebrim* autem ab Etruscis, de nomine Vejentium Regis, dictum antiquissime, prodidit Varro *b*: *Fuerunt, qui a vicino Regulo Vejentum Dehebri dixerunt primo appellatum Dehebrim. Thymbrim* vero Græci quidam hunc amnem nominaverunt, ex similitudine alterius apud Siracusas in Sicilia, & tertii apud Bithyniam in Asia, *Thymbris* vocati. Sic enim Dionysius latine translatus, ad Theocriti versus in περιηγήσει:

Illic habitarunt cum viris Tyrrhenis.
Post hos autem sagax gens illustrium est Latinorum;
Terram incolentes amœnam: quam per mediam
Thymbris tractus limpidum fluentum in mare emittit;
Thymbris pulchrifluus, fluviorum maxime regalis aliorum:
Thymbris, qui amabilem secat duas in partes Romam.

De nominibus *Rumone*, *Serra*, & *Terento* unicum est Ser-

a *De L. L. lib.* 4.

b *Lib.* 4. *de L. L.*

Servii Grammatici teſtimonium. ad illa enim Virgilii *a* verba ex ipſius Tiberis perſona ſic loquentis:

a *Ad Æn. lib. 8. v. 62.*

-- -- *Ego ſum, pleno quem flumine cernis*
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem,
Cæruleus Tybris, cælo gratiſſimus amnis.

ait Servius: *Stringentem ripas : radentem ; imminuentem. nam hoc eſt Tiberini fluminis proprium; adeo ut ab antiquis* Rumon *dictus ſit; quaſi ripas ruminans & exedens. in ſacris etiam* Serra *dicebatur. in aliqua etiam Urbis parte* Terentum *dicitur, eo quod ripas terat.* Hoc ultimum tamen vocabulum, alios apud auctores, loco peculiari in Urbe tributum videtur, qui *Terentus*, ſive *Terentum* dicebatur ; unde etiam *Tribus Terentina* denominata. quod tamen minime Servio adverſatur. Potuit enim loco nomen ex alluvione Tiberis terentis, ea parte, ripas, opportune impoſitum fuiſſe. Ceterum, divinitatem huic flumini fabuloſi veteres, de more, quemadmodum aliis fluminibus paſſim, impertiti ſunt. & templo habitare idem, ac Regia ſub aquis occulta, prædicavere. Quorum unuſquiſque veterum poetarum ampliſſima habet teſtimonia. Appellaverunt autem amnem ipſum modo *Tuſcum* ac *Tyrrhenum*, aliquando *Lydium*, modo *cæruleum*, ſæpiſſime *flavum*. Et *Tuſci* quidem, *Tyrrheni*, ac *Lydii* appellationum cauſſa ſatis conſtat ; ex eo, quod in Tuſcia Tyrrhenia ac Lydia, ſcilicet a Lydis populis originem habente, Tiberis ſuos fontes habeat. *Cæruleus* vero dictus eſt, ex eo quod, aliqua ſui curſus parte, cæruleo colore fluere videatur. At vero *flavum* duplici de cauſſa nominaverunt, vera altera, altera adulationis & blanditiarum plena. Vere enim flavas arenas habet Tybris, quibuſdam alvei locis. Blandiri deinde voluerunt veteres maxime Poetæ *flavum* hunc fluvium vocantes, blandiri, inquam, voluerunt

Urbi Terrarum Orbis dominæ, quam ſecat mediam Tiberis amnis; quaſi flavus inſtar auri decurrens, (quemadmodum de Pactolo & Tago fabulæ) divitias & potentiam Urbis inferret pariter & oſtenderet. Ceterum, lutulentus quod fluat ſemper, ac turbidus, (hoc enim revera eſt, quod *flavum* illi dixere) immunditiarum totius Urbis jactus, & cloacarum in ipſum exitus faciunt, intra Urbem quidem: extra vero, flumina alia turbulenta, quæ in idem influunt, nivibus, aquis, pluviis, cœno quam maxime redundantia. De *Tuſci* appellatione illud, inter quamplurima, Virgilii teſtimonium *a*:

a *Georgic. l.* 1. *v.* 497.

Di patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas.

b *Æn. lib.* 7. *v.* 242. De *Tyrrheno* aliud ejuſdem *b*:

Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada ſacra Numici.

c *Silv. lib.* 1. *Carm.* 2. De *Lydio* Statius *c*:

Lydius unde meos itcraſſet Tybris Iulos.

De *cæruleo*, jam ſupra attulimus. De *flavo* autem, inter cetera, Horatius *d*:

d *Od.* 2. *lib.* 1.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Veſtæ.

e *Od.* 3. *lib.* 2. Et rurſum *e*:

Cedes coemtis ſaltibus, & domo,
Villàque, flavus quam Tiberis lavit.

f *Faſt. lib.* 6. Et Ovidius ſæpius *f*:

Detulerit flavis in mare Tybris aquis.

g *Triſt. lib.* 5. *El.* 1. Atque alibi *g*:

Quot frutices ſilvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina Campus habet.

Et in Carmine ad Liviam:

Ipſe pater flavis Tiberinus adhorruit undis.

Ejus

Ejus cursum sic breviſſime omnium Dionyſius *a* Halicarnaſſenſis deſcripſit: *Tiberis amnis principia quidem accipit curſus ex radicibus Apenninorum montium, & in Tyrrhenicum mare erumpit, prope Oſtiam urbem aquas emittens.* Latius autem Strabo *b*: *Fluit autem ex Apenninis montibus Tiberis. Impletur autem multis amnibus. pars quidem aliqua ipſius defertur per Tyrrheniam. ab ipſa deinceps diſtinguit primo Umbriam, mox Sabinos atque Latinos.* Latiſſime autem *c* Plinius; ait enim: *Tiberis, antea* Tybris *appellatus, & prius* Albula, *e media fere longitudine Apennini, finibus Arretinorum profluit, tenuis primo, nec niſi piſcinis corrivatus emiſſuſque, navigabilis, ſicuti Tinia & Glanis influentes in eum, novenorum ita conceptu dierum, ſi non adjuvent imbres. Sed Tiberis propter aſpera & confragoſa, ne ſic quidem, præterquam trabibus, verius quam ratibus, longe meabilis fertur, per CL. millia paſſuum, non procul Tiferno, Peruſiaque, & Ocriculo, Etruriam ab Umbris ac Sabinis: mox citra XIII. millia paſſuum Urbis, Vejentem agrum a Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque a Vaticano dirimens: ſed infra Arretinum Glanim duobus & quadraginta fluviis auctus, præcipuis autem Nare & Aniene, qui & ipſe navigabilis Latium includit a tergo: nec minus tamen aquis ac tot fontibus in Urbem perductis: & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, rerum in toto Orbe naſcentium mercator placidiſſimus, pluribus prope ſolus, quam ceteri in omnibus terris amnes, accolitur, aſpiciturque villis. Nullique fluviorum minus licet, incluſis utrinque lateribus: nec tamen ipſe pugnat, quamquam creber ac ſubitis incrementis, & nuſquam magis aquis, quam in ipſa Urbe ſtagnantibus. Quin imo vates intelligitur potius ac monitor, auctu ſemper religioſus verius, quam ſævus.* Eadem ferme, brevius, Plinius *d* alter, ubi de ſua in Tuſcis villa. At Dionyſius *e* amnis latitudinem & altitudinem, inter Urbem & Oſtium, ita definivit: *Tiberis amnis*

a *Lib.* 1.

b *Lib.* 5.

c *Lib.* 3. *c.* 5.

d *Lib.* 5. *Ep.* 6.

e *Lib.* 9. *Antiq. Rom.*

latitudo eſt quatuor ferme jugerum; altitudo, navium etiam magnarum capax: fluxus vero concitatus ac vorticoſus, ſi quis alius; peditibus nonniſi ponte ſuperabilis. Amnes in eum confluentes hi memorantur: *Tinia, Glanis*, ſive *Clanis, Nar, Himella, Farfarus*, ſive *Fabaris, Allia, Cremera, Turia, Anio, Aqua Crabra, Almo, Aqua Ferentina, Juturna.* Plinius quidem, recitato proxime teſtimonio: *Infra Arretinum*, inquit, *Glanim duobus & quadraginta fluviis auctus, præcipuis autem Nare & Aniene.* Quæ lectio, ſi germana eſt, ac genuina ipſius Plinii, nec a librariis, ut aliæ quamplurimæ, corrupta fuit, dicendum, plures alios ab illo fluvios computatos, in Tiberim defluere, qui non ipſi quidem ſuo alveo, verum ab aliquo ex nuper nominatis amnibus devecti, in Tiberim confluunt. Quod de Velino præcipue, in Narem magno impetu decidente, veriſſimum eſt.

De ſingulis jam aliquid curſim breviſſime. ac *Tinia* quidem, ſeu *Tenea*, vulgo nunc accolis *il Topino*, oritur paullo ſupra Nuceriam Camellariam, ex Apennino monte in Umbris. Fulginium & Mevaniam Propertii poetæ patriam præterlabitur, nunc *Fuligno* & *Bevagna:* ac infra Peruſiam Tiberi miſcetur. navigabilis parvis ſcaphis, quibus merces ex campeſtribus locis in Tiberim devehit. Straboni, Plinio, & Silio memoratur, apud Cluverium. quamvis huic vocetur *inglorius*, quaſi nullius nominis. In hujus lævam ripam apud Mevaniam *Clitumnus* influit, modo *il Clitonno*, fabulis celebris, ac taurorum candore ex ejus aquis provenire exiſtimato; ſacrariis quoque ad fontes; & nemore, ac templo Clitumni Jovis. quæ nimium ab inſtituto procul nos abducerent, ſi per ſingula vellemus perſequi.

Proximus a Tinia veteribus memoratur *Clanis*, amnis

mnis ex Etruria in Tiberim confluens, vulgo *la Chiana*, vel *le Chiane*. Hunc aliqui *Glanim* etiam dixere; nomen duorum pariter fluviorum in Campania; alterius quidem apud Cumas, alterius vero apud Minturnas; qui communiori vocabulo *Liris* dicitur, *il Garigliano*. Clanis autem Etruscus, de quo nunc, paludes efficit, quas pariter *le Chiane* usurpant, stagnantes in agro Clusino, *di Chiugi*. hæ olim *Clusina Palus* dictæ: quarum pars in Arnum influit. Clani apud *Urbem Veterem* (*Orvieto*) admiscetur amnis *Pallia*, *la Paglia*. De quo Tabula vetusta Itineraria: *Volsinis*, *Pallia Fl.... Clusio VIII.* habetque eadem Tabula flumen depictum in Tiberim confluens cum hoc titulo: *Fl. Pallia*. Vitruvio *a* inde lapidicinæ Pallienses nominantur; inquit enim: *Sunt aliæ molles*; *uti sunt circa Urbem* Rubræ, Pallienses, Fidenates, Albanæ. *aliæ temperatæ*, *uti* Tiburtinæ, Amiterninæ, Soractinæ.

a *Lib.2. c.7.*

Nar amnis Umbros a Sabinis disterminat, lævam Tiberis ripam petens; omnium qui in hunc defluunt maximus, plurimisque auctoribus memoratus. nobis modo *la Nera*. Plinius *b*: *Sabini---Velinos accolunt lacus*, *roscidis collibus*. *Nar amnis exhaurit illos sulfureis aquis*. *Tiberim ex his petens replet*, *e monte Fiscello labens*, *juxta Vacunæ nemora & Reate*, *in eosdem conditus*.

b *Lib.3.c.12.*

Hinc Virgilius *c*:

c *Æn. lib.7. v.517.*

Sulfurea Nar albus aqua, *fontesque Velini*.

Mox Silius *d*:

d *Lib.8.*

- - - *Narque albescentibus undis*
In Tybrim properans. - - -

Et Claudianus *e*:

e *Paneg. de Prob. & Olybr. Consulat.*

- - - *Et Nar vitiatus odoro*
Sulfure.

Ausonius *f* denique:

f *Idyll. 12.*

Fluminibusque Italis præpollens sulfureus Nar.

Ab

Ab hoc *Narniam* urbem (*Narni*) nomen desumsisse ajunt, juxta quam fluit. In Narem Velinus decidit; *vasto cum murmure montis*, merito Virgilius diceret. Præcipitium visu audituque horrendum; attamen digniſſimum quod visatur. Loco nunc vocabulum *Caduta delle Marmora*, sive *le Marmora*, ex latino corruptum, *Ad murmura*, aquarum decidentium, spumantium, illisarum, & in stillas minutissimas exsultantium impetu, concitata. *Velinus* lacus pariter atque fluvius. In Fluvium alius amnis, *Telonius*, sive *Tolenus*, nunc *Turano*, Reatinos agros alluens, immittitur; quamplurib̃us auctoribus, apud Cluverium, nominatus.

Infra Narem vero flumen *Himella*; viciniæ modo, *Aja*, seu *l'Aja*. De illo Virgilius *a* inter Sabinos:

a *Æn. lib.* 7. *v.* 712.

Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Foruloſque, & flumen Himellæ.

Sequitur *Fabaris* sive *Farfarus* sive *Faber*, nunc *Farfa*, Sabinorum pariter fluvius in Tiberim properans. Idem Virgilius *b*: *Qui Tiberim Fabarimque bibunt*, - - Ovidio, Vibio Sequestro, Silio Italico nominatus.

b *Æn. lib.* 7. *v.* 715.

Mox *Allia*, Romanorum clade Allienſi, a Gallorum exercitu illata, celeberrimus. Multis est nunc rivus, qui dicitur *Caminate*, aut *Rio di Mosso*. quamvis antiquarii non desint qui contradicant. quibus tamen non obaudiendum, nisi meliora, quam quæ hactenus, de vero flumine *Allia* protulerint.

Infra Alliam *Turia* amnis, Livio *c* ac Silio memoratus; sex millia passuum ab Urbe defluens. Silius *d* de Castris ab Annibale ad hujus fluvii ripas locatis:

c *Initio l.* 73.
d *Init. lib.* 13.

Castra locat, nulla lædens ubi gramina ripa
Turia deducit tenuem sine nomine rivum,
Et tacite Tuscis inglorius affluit undis.

Cluverio is est rivulus qui ad *Saxa Rubra*, nunc *Pri-*

ma

ma Porta, ſeptimo circiter milliario ab Urbe, Tiberi miſcetur, vulgari appellatione *la Foſſa*. huic enim omnia convenire videntur quæ Turiæ Silius attribuit. Nec de varietate ſexti ac ſeptimi milliarii ſolliciti ſuper hoc eſſe debemus. Quandoquidem milliariorum diverſitas, antiquos inter atque præſentes, ſatis conſtat.

Poſt Turiam, flumen eſt *Cremera*, trecentorum Fabiorum uno die nece, nimium infame. Hoc e Vejentano in dexteram Tiberis ripam confluit, nunc vulgo *la Varca*. Hinc celebratiſſimus omnium in Tiberim influentium excipit *Anio* amnis, qui & *Anien*, nobis *il Teverone*. Verum de illo quæcumque memoratu digna reperiuntur, (reperiuntur autem quamplurima) noſtro de Tiburtinis libro, ut in loco opportuniſſimo ad deſcribendum, recenſebimus. Eſt enim hic fluvius alter Veteris Latii terminus, qua vergit ad Septemtriones. A Simbrivio lacu in Æquicolis ſupra montes Trebanos Anio ducit originem, tertioque plus minus ab Urbe lapide, Tiberi miſcetur, non minor illo. Anieni *Vereſis* amniculus infunditur quatuor millia paſſuum infra Tibur, videturque eſſe rivulus paullo ſupra Gallicanum oppidulum ortus, ſine peculiari nomine, aut certe ferme ignoto. *Albula* etiam, ſive *Aquæ Albulæ* Anieni tributum deferunt. Porro infra Anienem, in ipſum Tiberim defluxit *Petronia* amnis, Feſto auctore. *Petronia amnis eſt in Tiberim profluens; quam Magiſtratus auſpicato tranſeunt, quum in Campo quid agere volunt. quod genus auſpicii* Peremne *vocatur. amnem autem feminine antiqui enuntiabant.* et alibi: *Cati fons; ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit; ſic dictus, quod in agro cujuſdam fuerit Cati.* forte illius de quo Horatius ſatyra libri ſecundi quarta. Circa Urbem, hoc tractu, apud Ciceronem,

a *Lib.* 3. *de Nat. Deor.*

nem *a*, ſi tamen genuina eſt lectio, amnes leguntur, ceterum, omnino incogniti. ejus verba: *Et in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus.*

Pro *Anemone* tamen legendus videtur *Almo*, notiſſimus ob lavacra Cybeles matris deûm Statuæ, dum Romam advecta eſſet e Peſſinunte. De qua Oſtiis Tiberinis invecta plurima infra memorabimus. Almo ab Ovidio *b* nominatur *curſu breviſſimus*, *parvus* a Lucano *c*, *tepidus* a *d* Silio, *Italus* ab Statio *e*. Urbis mœnia, qua Meridiei obvertuntur, Almo fluvius pæne contingit. neque alius eſſe poteſt, quam qui Via Appia inter Fanum Divi Sebaſtiani & Portam Capenam defluit. Via autem Oſtienſi, Templum inter Divi Pauli & Portam Trigeminam, vulgaribus corruptiſque nominibus dicitur *Accia* & *Acqua d' Accia*, quaſi ab Atia gente Aricina, ex qua Auguſto Cæſari fuit mater, ut eruditi veſtigatores ſibi viſi ſunt. Quod ſcilicet juxta Viam Appiam & Capenam Portam decurreret hæc aqua; unde Ariciam ibatur, Atiæ gentis vetuſtam patriam. Simplicius tamen mihi videtur vocari hic fluvius *Acquataccio*, hoc eſt *Aqua turbida*. ſic enim recens vocabulum hoc ſonat, & ſic idem planiſſime interpretaberis.

b *Metam. l.* 14.
c *Lib.* 1.
d *Lib.* 8.
e *Silv. lib.* 5. *Carm.* 1.

At qui fluvius ipſam Urbem, inter Palatinum Aventinumque montes, perfluit, communi modo vocabulo *la Marana*; interque Tuſculanum & Albanum montes exoritur, priſcis Latinis dictus eſt *Aqua Crabra*. de qua frequens eſt apud Ciceronem mentio. Siquidem hæc aqua villam ejus Tuſculanam, modo *Grotta Ferrata*, alluebat. Quod non minimum, inter cetera, eo loci Tuſculanum Ciceronis vere fuiſſe, (de quo ſubtiliores quidam critici adhuc videntur addubitare) idemque invictiſſimum eſt argumentum.

Aqua

Aqua deinde *Ferentina* ex Albano lacu ſcatens, atque ad oppidum Marianum, *Marino*, ad caput exiens, fluvium producit, in Tiberim, quatuor millia paſſuum infra Romam, influentem. De illa in noſtro de Albanis Commentario fuſius agemus. Denique *Juturnæ* lacus & fluvius, de quo nos in Ardeatibus, & iterum in Albanis, fabulis Turni celebris, hodie prope Albanum, & Sabellum oppida cernitur, in Occidentem Solem decurrens, ſex paſſuum millia a Numici fontibus diſſitus. ex radicibus Albani montis, atque adeo occultis Albani lacus meatibus effluens, ut perhibent, in lacum diffunditur haud perinde magnum. ex lacu deinde in Tiberim defertur; cui miſcetur, quinto milliario ab Oſtia, ſeptimo vero ab urbe Roma. Atque hæc præcipua ſunt flumina quibus Tiberis, Veteris Latii limes Occidentalis, auctus, poſtquam duas Inſulas, in Urbe alteram, Lycaoniam fabulis Æſculapii celebrem, ad exitus alteram, Sacram Apollini, gyro circumdedit, in mare prope Oſtiam Coloniam, & Portum Oſtienſem duplici curſu deſcendit. Huic propterea, titulo *Patris Aquarum omnium*, vetuſtus Lapis dedicatus, forte ſub ejuſdem Statua, fuit publice. Refert Gruterus *a* in ripa Tiberis Romæ repertum, his notis:

a *Pag.* 178.

IMPP. DIOCLETIANVS. ET. MAXIMIANVS. AVGG
REPVRGATIS. FONTIVM. RIVIS. ET. ITINERIB. EORVM
AD. PERENNEM. VSVM. REFECTIS. TIBERINO PATRI
AQVARVM. OMNIVM. ET. REPERTORIBVS. MIRABILIVM
FABRICAR. PRISCIS. VIRIS
HONORI. DEDERVNT
CVRANTE. AQVAS. L. AELIO. DIONYSIODO. V. C

Aquarum autem omnium, ſcilicet Urbanarum, Tiberinum amnem Patrem intellige; vel certe ex eo, quod fluvius fuerit Urbis Dominæ fluviorum omnium Romani orbis. Alioquin neque inter Italiæ flu-

mina, ſi aquarum copiam & curſus longitudinem metiaris, primum, & Patris locum, Tiberis tenere merito poteſt. Cum, præter alia, Italorum fluviorum rex Eridanus multo ſuperior fuerit; & extra Italiam, inter ceteros, Iſter ſive Danubius. ut Novi Orbis ſileam vaſtiſſima flumina, maris inſtar, *Paraquarium*, & *Argenti Flumen*, quæ vocant, *Paraguai*, *y Rio de la Plata*. Ceterum, oſtium Tiberis ſiniſtrum non modo Æneæ appulſu, quem fabuloſum omnino multi exiſtimarunt; verum & ſimulacri Cybeles, quam Magnam Deorum Matrem vocabant, mirabili, ut quidem jactatum eſt, adventu celeberrimum fuit apud veteres. Rem nobiliſſimorum ſcriptorum verbis placet ob oculos ponere. Ovidius *a* itaque:

a *Faſt. lib.* 4. *v.* 291.

Oſtia contigerat; qua ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.
Omnis Eques, mixtaque gravis cum plebe Senatus
Obvius ad Tuſci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, nataeque, nuruſque,
Quaeque colunt ſanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia laſſant.
Vix ſubit adverſas hoſpita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: ſitis uſſerat herbas:
Sedit limoſo preſſa carina vado:
Quiſquis adeſt, operi plus quam pro parte laborat;
Adjuvat & fortes voce ſonante manus.
Illa velut medio ſtabilis ſedet inſula ponto.
Attoniti monſtro ſtantque paventque viri.

Et poſtquam jactatum in Claudiæ Quintæ Veſtalis aſſerenda pudicitia miraculum narravit pluribus, ſubdit *b*:

b *Ibid. v.* 329.

Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Oſtia dixerunt, unde ſiniſter abit.
Nox aderat: querno religant a ſtipite funem:
Dantque levi ſomno corpora functa cibo.

Lux

Lux aderat: querno ſolvunt a ſtipite funem:
Ante tamen poſito tura dedêre foco.
Ante, coronata puppi, ſine labe juvencam
Mactarunt, operum conjugiique rudem:
Eſt locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos
Almonis dominam ſacraque lavit aquis.
Exululant comites, furioſaque tibia flatur;
Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia præcedit, læto celeberrima vultu;
Credita vix tandem teſte pudica dea.
Ipſa ſedens plauſtro porta eſt invecta Capena:
Sparguntur junctæ flore recente boves.
Naſica accepit: templi tunc exſtitit auctor.
Auguſtus nunc eſt: ante Metellus erat.

Quæ brevibus ſic Livius quoque ſuis hiſtoriis attexere non dubitavit. Poſtquam enim id ſimulacrum lapidem fuiſſe dixit, qui ab Attalo Phrygiæ Rege in urbe Peſſinunte Romanis conceſſus fuerat; ab iiſque oraculo monitis, Oſtiam uſque, cum ſacerdotibus deæ Phrygibus, advectum; *Publius Cornelius*, inquit (*a*), *cum omnibus matronis, Oſtiam, obviam ire juſſus; iſque eam de nave accipere, & in terram elatam tradere ferendam matronis. Poſtquam navis ad Oſtium amnis Tiberini acceſſiſſet; ſicut erat juſſus, in ſalum nave evectus, ab ſacerdotibus deam accepit, extulitque in terram. Matronæ primores, inter quas unius Claudiæ Quintæ inſigne eſt nomen, accepere: cui, dubia, ut traditur, ante fama, clariorem ad poſteros jam religioſo miniſterio pudicitiam fecit.*

[a] *Dec. 3. l. 9.*

FINIS LIBRI UNDECIMI.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTUR.

A

ACilia Gens origine Lavinienſis. *pag.* 125
Acilii Glabrionis Conſulatus multiplex. 214
Ædes Apollinis Laurenti antiquiſſima. 77
Ædificia plurima olim in Portu Oſtienſi Trajani. 146
Ægeſtus Æneæ ſocius familiam ſuam Lavinii propagavit. 121
Æneæ inter deos translati fabulæ. 82
Æneas ab Laurentibus Lavinienſibus & ceteris priſcis Latinis olim, mox etiam ab Romanis templo cultus ſub nomine Jovis Indigetis in agro Laurenti. 83. *& ſeqq.*
Æneas in Latium veniſſe conſtanter ab Latinis & ſubſecutis Romanis eſt creditus. 120
Ager Laurentinus, Romanorum quondam villis frequentiſſimus. 39
Albæ ſuis monumenta Lavinii aſſervata. 61
Albula primum Tiberis nomen. 215
Allia rivus Tiberi tributum ferens. 222
Almo fluviolus Tiberi immixtus. 224
Ambarvale ſacrificium pro frugibus. 109
Ancus Martius Romanorum Rex quartus Oſtiam urbem condidit. 129. *& ſeq.*
Anio fluvius Tiberi ſe ſe conjungens. 223
Annæ Perennæ feſtum quo anni tempore a Latinis celebratum. 93
Annæ Perennæ multiplex fabula. 87. *& ſeq.*
Anna Perenna Laurentium numen. 87
Anna Perenna Numicii fluminis Nympha. 89
Annare quid ſibi voluerit apud Latinos Veteres. 95
Antonini Imp. lapis Laurentinus recenſitus. 99
Apponius Flamen Laurentinalis Veſtæ monumentum dedicavit. 80
Aqua Crabra rivus in Tiberim incidens. 224
Aquæductus duplicis veſtigia in agro Laurente. 30. *&* 57
Aqua Ferentina rivus Tiberi confuſus. 225
Aquilliorum ſepulcra in agro Oſtienſi. 193
Avidii Ulpiani lapis Oſtienſis. 192
Avium tranſmarinarum trajectus frequentiſſimus quotannis ad Inſulam Sacram Oſtienſem. 170
Aurelii Frontonis Flaminis Laurentinalis lapis. 79
Aurelii Porphyrionis ſepulcralis lapis in agro Laurente. 56
Aurelii Veri Imp. lapis Oſtienſis. 214
Aureliorum monimenta in Laurentino. 54. *& ſeq.*

B

Baſsæi Curatoris Viæ Oſtienſis lapis. 202
Beneficiarii milites Auguſti. 210

C

Cæciliæ Q. Filiæ lapis ap. Laurentes. 119
Cæcilii Oratoris villa in agro Laurentino. 53
Cælum in Oſtienſi agro cur inſalubre. 184
Cæphionum villa in agro Laurenti. 53

C. Ceſtii ſepulcrum & ſepulcrales lapides ad Portam Oſtienſem. 186
C. Cominii Cari lapis. 126
C. Plinii Cæcilii villa in agro Laurenti deſcripta. 44. *& ſeqq.*
C. Firmio Rufino lapis poſitus ab Laurentibus. 102
C. Caligula ſuorum cineres Oſtiæ excipit ac deducit ſolemni pompa. 179
C. Marius Oſtiam diripit. 176
C. Marius Oſtiam confugit. 175
Canens dea Latinorum. 77. item locus in agro Laurenti. 76
Caſtorum Templum & Dedicatio Oſtiæ. 200. *& ſeq.*
Cereri Argypiræ Dedicatio. 54
Cereri Porcilianæ Dedicatio. 53
Chabiliorum villa in Laurentino. 54
Chriſtianorum ſepulcra Via Portuenſi. 160
Circe Pici Regis Laurentum amaſia. 75
Ciſiani Juvenes & Veterani qui. 210
Clanis flumen in Tiberim intrans. 221
Claſſes Romanorum quo tempore Oſtiæ conſiſtere conſueviſſent. 177
Claſſiariorum Oſtienſium curſus. 180
Claudiæ Veſtalis prodigium jactatum Oſtiæ. 227
Claudio Imp. Inſcriptio poſita a Portuenſibus. 157
Claudius Imp. frequenter Oſtiæ verſabatur. 179. idem Oſtienſibus amicus quomodo in ipſos ſe geſerit. 180
Claudius Imperator magnificentiſſimum Portum Oſtienſem exſtruxit. 141. *& ſeqq.*
Cluentia familia origine Lavinienſis. 122
Cluverii de antiquo Laurenti & Lavinii ſitu ſententia. 28. *& ſeq.*
Collegia plura Corporata Oſtiæ in lapide C. Sentii memorata. 208
Coloniæ Oſtienſis prima origo. 171
Coloniæ Oſtienſis varius variis temporibus ſtatus. 171. *& ſeqq.*
Colonia Oſtia. alumna & altrix Urbis Romæ. 176
Colonia Oſtienſis quarto & quinto Chriſti ſæculo frequentata. 183
Colonia Oſtia ſplendidiſſima. 181
Colonia Oſtienſis Sullanæ factionis Mario ſe opponit. 176
Colonorum Oſtienſium a militia vacationes quæ. 172. *& ſeq.*
Columnarum ad Trajani Portum Oſtienſem collocatarum deſcriptio. 162
Cominia Gens Laurentina. 126
Commodus Imperator cur agrum Laurentem frequentaret. 2
Compitales dii iidem ac Lares. 76
Cornelii Epagatiani Memoria in agro Laurenti. 102
Corpus Fabrûm Oſtienſium quodnam fuerit. 205
Cremera flumen in Tiberim cadens. 223
Cybeles Simulacrum ex Oſtienſi Romam deductum. 226. *& ſeq.*

D

Dehebris aliquando dictus Tiberis. 216
Deſacomarii quid fuerint. 210
Dii Conſentes apud Veteres qui. 54
Divæ Monicæ obitus & Corpus olim Oſtiæ ſepultum. 183
Diverſæ Auctorum ſententiæ de diſtantia urbis Oſtiæ ab urbe Roma inter ſe conciliatæ. 132. *& ſeq.*
D. Hippolyti Sacellum in Inſula Oſtienſi. 165

E

Evocati, ſive Evokati quinam dicti fuerint. 112

F

Fabatiæ Gentis villa in agro Laurenti. 55
Fabatia familia Laurentina. 126
Fabretti de antiquo Laurenti & Lavinii ſitu ſententia. 29
Farfarus ſive Fabaris amnis Tiberim inundans. 222
Faunus Laurentium deus, ab iis tem-

plo cultus ac ſacrificiis. 73
Felicitatis Dedicatio ap. Portum Oſtienſem. 155
Flamines Laurenti ac Lavinii quodnam ſacerdotium fuerint. 79. eorumdem varia nomina, & officia. 80. ritus in ſacris. *ibid.*
Fornax Romanorum numen. 66
Fortunæ Tranquillæ lapis ap. Portum Oſtienſem. 151
Fortunati qui dicerentur Romanis. 94

G

Galerio Maximiano lapis poſitus ab Laurentibus. 100
Gallicanus vir ſanctiſſimus Oſtiæ hoſpitalem domum curat. 183
Gigania vel Gegania familia originе Lavinienſis. 121
Glanis fluvius Tiberim augens. 221

H

Hadriano Imp. lapis poſitus Oſtiæ. 181
Hadrianus Imp. Coloniam Lauro-lavinium deduxit. 98
Himella flumen Tiberim ingrediens. 222
Holſtenii de antiquo Laurenti & Lavinii ſitu ſententia. 29

I

Indigetes dii Latinorum & maximè Lavinienſium quinam fuerint. 85
Indigitamenta quid ſignificaverint, 85
Inſulæ Sacræ Oſtienſis deſcriptio ex Procopio. 164
Inſula Tiberina Oſtienſis quomodo & unde appellata. 167
Inſula Tiberina Romæ ab aliquibus cum Inſula Tiberina Oſtienſi confuſa. 168
Jovis Patulcii Templum Oſtiæ. 196
Iſthmia ludi quinam eſſent. 165. num in Oſtienſi Inſula celebrati. *ibid.*
Julius Cæſar Oſtienſem Portum conſtruere primus deſtinavit. 140
Junii Priſcilliani Maximi plures lapides apud Laurentes. 116. & *ſeq.*
Junonis Kalendaris Templum Lavinii. 76
Junonis Patulciæ Oſtiæ ædes. 196. & 198
Junonis Reginæ Dedicationes Oſtienſes. 199
Juturna lacus & fluvius Latii in Tiberim deſcendens. 225

K

Kalendæ menſis cujuſque apud Latinos Veteres Junoni conſecratæ fuerunt. 76. & 199
Kalendaris Junonis templum Lavinii. 76
Kalendarium apud Latinos Veteres quid. 111
Kalendarius Curator quis olim dictus. *ibid.*

L

Lacus Oſtienſis quis. 193
Lanciſii Jo. Mariæ de Laurentino Plinii Diſſertatio. 51
Lapidum Laurentium - lavinatium interpretatio. 107. & *ſeqq.*
Lapis antiquus ad Pontem inter Oſtienſes & Laurentes olim poſitus, recenſitus. 107
Lares dii Lavinii culti. 76
Latinæ Feriæ cur olim bis inſtauratæ. 97
Latinum littus antiquiſſimis temporibus importuoſum fuit. 130
Latinum littus frequenti lauro conſitum. 2
Latinus Rex Laurentium pro deo ab Latinis habitus & cultus. 74
Lavinates etiam Lavinienſes, & Ilionenſes Lavinii dicti. 22
Lavinienſes num Latinienſes dicti aliquando fuerint. 23
Lavinii urbis Conditores qui. 12. & 17. & *ſeqq.*
Lavinii urbis ſitus incertus. 28. & *ſeqq.*

La-

Lavinii urbis vocabulum unde. 20
Laurentes apri quales. 37
Laurentes & Laurentii & Laurentini appellati. 11
Laurentes-lavinates qui dicti sint. 16
Laurenti antiqui oppidi priscus situs. 5. & seqq.
Laurenti oppidi Conditores qui. 9
Laurentinæ paludes. 36
Laurentinæ silvæ. 36
Laurentini agri fertilitas. 34
Laurentini littoris deliciæ Scipioni & Lælio amicis quæ fuerint. 37
Laurentis agri termini olim qui. 32
Laurentium mores a Virgilio descripti. 8
Laurentium vocabulum late patens. 4
Laurentum cur ita dictum. 2
Laurentum & Lavinium diversa omnino & discreta oppida fuere. 11. & seq.
Laurentum & Lavinium urbes olim florentes cur & quando desertæ. 24. & seq.
Laurentum urbs olim ad mare sita. 12
Lauri natura, deliciæ, utilitas. 3. & seq.
Lauro-lavinium Colonia deducta. 25
Lauro-lavinium quodnam oppidum fuerit. 25. cur sic appellatum. 27
Laurus antiquis Latinis in deliciis fuit. 3
Laurus Apollini sacra Laurenti. 4
Lenuncullariorum Portuensium monumenta. 152. & seqq.
Liberalia profanissima Lavinienſium sacra. 76
Libero Patri Thyoneo lapis sacer ap. Portuenses. 156
Liburnensis duplicis Portûs brevis descriptio. 147
Liciniorum sepulcra Via Portuensi. 159
Loca lauris consita Laureta sive Loreta appellata. 3
Lucii Cæsii Marcelli Laur. Lavin. lapis recensitus. 103
Luci diis sacri Latinorum qui. 86
Lucilii Gamalæ statuæ appositæ olim Inscriptio apud Portum Ostiensem. 154
Lucus Jovis Indigetis locus in agrò Laurenti. 82. & seqq.
Ludi Apollinares num in Insula Ostiensi frequentati. 165
L. Apsidii Lapidarii Memoria apud Portum Ostiensem. 158
L. Aurelii Macaisti prædium & monimentum. 54
L. Fabricii Cæsennii Galli lapis. 105
L. Mussii Æmiliani lapis repræsentatus. *ibid.*
L. Valerii Balbini lapis repræsentatus. 105. & explicatus. *ibid.*
Ludus Juvenalis unde dictus. 211
Lupi Consularis lapis apud Laurentes-lavinates. 118

M

M. Ulpii Dioxippi sepulcrum apud Portum Ostiensem. 159
M. Antonino Imperatori lapis ab Laurentibus positus. 27. & 99
M. Aurelio Antonino ab Laurentibus lapis positus. 100
Marica dea Latinorum. 10. Cur Laurens dicta. *ibid.* ejus Templum in Novo Latio. *ibid.*
Maris cum sinu Trajano ingeniosè commercium olim excogitatum & ductum. 162
Martialis Carmen emendatum & restitutum pluribus locis. 91
Martis templum num Lavinii & Laurenti fuerit. *ibid.*
Megalesia ludi qui. 167
Memmia Gens olim Lavinienſis. 123. & seq.
Memmiorum nummi explicati. 124
Missale prædii nomen Via Portuensi. 164
Monumenta sepulcralia Veterum adhuc Ostiæ exstantia. 194. & seqq.
Monumentum Tiberino fluvio ut deo positum. 202. & 225
Myrtus in littorali ora Latina & olim & modo frequentissima. 2

N

Nar fluvius in Tiberim labens. 221
Navale ſitum ad Portum Oſtienſem. 146. & 159
Navalia Oſtienſia diverſi generis. 203
Navis maximæ molis demerſa ab Claudio Imperatore ad ſecuritatem Portus Oſtienſis. 141
Nautia familia Lavinienſis. 121
Nemus Annæ Perennæ ubi potiſſimum fuerit. 95
Neptuni Dedicatio Oſtienſis. 200
Nero Imperator Oſtienſem Portum cur in nomiſmate repræſentaverit. 143
Numicius fluvius in agro Laurenti. 81
Nummus Neronianus de Portu Oſtienſi explicatur. 143

O

Octavianus Auguſtus Oſtienſem Portum excitaſſe a nonnullis falſo creditus eſt. 143
Orcæ in Portu Oſtienſi magnitudo & captura mirabilis. 148
Ordo Corporatorum Lenuncullariorum Tabulariorum Oſtienſium ſingulorum nominibus deſcriptus. 211. & ſeqq.
Oſtiæ Conditor quis fuerit. 129. & ſeq.
Oſtiæ vocabulum unde derivatum. 131
Oſtiæ urbis ab urbe Roma diſtantia. 132
Oſtiæ urbis præſens ſtatus deſcriptus. 184
Oſtiæ urbis ſitus deſcriptus. 130. & ſeqq.
Oſtia Oſtiorum & Oſtia Oſtiæ dixerunt Veteres. 137
Oſtia urbs quare ſic appellata. 131
Oſtienſe incommodum quid Cicero dixerit. 177
Oſtienſes aliter quoque nominati. 138

P

Pammachius Senator Chriſtianus hoſpitalem domum in Portu Oſtienſi procurat. 183
Parentalia ab Ænea primum Lavinii inſtituta. 73
Patras poſſeſſio ſive fundus in agro Laurenti. 87
Patrica ſaxa locus in agro Laurenti. 87
Patri Tiberino & Nymphis lapis ſacer Oſtiæ. 202
Penates dii Lavinium rediiſſe bis crediti ſunt. 61
Penates dii unde dicti; eorum fabulæ, figura, cultus, origo. 59. & ſeq.
Perannare quid ſignificaverit apud Veteres Latinos. 95
Phæcuſianum prædium & monimentum Cereri ſacrum in Laurentino. 55
Pharus Oſtienſis ingentibus molibus excitata. 141
Philumeni ſacerdotis memoria in Laurentino. 56
Pica Latinorum dea. 76. eadem multis cum Canente & Pomona. 77
Pici Latinorum Regis fabulæ. 74. & ſeq.
Picumnus Latinorum deus. 74
Picus Rex Latinorum aris cultus apud Laurentes. *ibid.*
Pomona Pici Regis Latinorum conjux. 9
Pons inter Oſtienſes & Laurentes fines conſtitutus. 107
Porciliæ Gentis villa in agro Laurenti. 52
Porta Portuenſis Romæ etiam Navalis dicta eſt. 159
Portuenſis oppidi ab Urbe diſtantia quæ. 149
Portuenſium cum Urbe commerciorum deſcriptio ex Procopio. *ibid.*
Portumni Statua num fuerit apud Portum Oſtienſem Claudii. 143
Portumno Dedicationes factæ recenſentur. 151. & ſeq.
Portunnalia ludi in Inſula Oſtienſi quotannis aut ſingulis quinquenniis celebrati. 166

Portus Claudii & Portus Trajani recentia corrupta nomina quæ, & unde ducta. 161
Portus duplex Oſtienſis quibus nunc vocabulis appelletur. *ibid.*
Portus Oſtienſis ab Claudio exſtructi deſcriptio. 142
Portus Oſtienſis interioris a Trajano Imperatore excitati deſcriptio. 146
Portus Oſtienſis nomina plura. 139
Portus Romanus celebris olim Urbs. 149
Prædia Aurelii Cæſaris in Laurentino. 54. *& ſeqq.*
Prodigioſa Clodii Balbini ingluvies. 182
P. Ælii Marcelli Centurionis Flaminis Laurentium Lavinatium lapis. 103
P. Martii Philippi Statua Oſtiæ. 205
P. Papii Reſtituti lapis in Laurentino. 103

Q

Q. Fabii Calatini lapis recenſitus. 104
Q. Hortenſii Oratoris villa & vivarium in agro Laurenti. 43
Quintili Menſe cur Apollo præcipue a Laurentibus coleretur. 77
Q. Plotii ſepulcrum in Colonia Oſtienſi. 182
Q. Spurinnæ monumentum poſitum ab Laurentibus. 102
Quodnam ludorum genus præcipue agitari conſueverit quotannis in Inſula Oſtienſi. 165. *& ſeq.*

R

Ræbuſianum prædium in Laurentino. 53
Ragonio Vincentio Celſo honorificentiſſimum Monumentum poſitum a Portuenſibus. 157
Romanorum Colonia Lavinium deducta. 97
Rumon vetus Tiberis nomen. 217

S

Sacchettorum villa in agro olim Laurenti. 51
Sacchettus (Marcellus) laudatus. *ib.*
Salinæ Oſtienſes. 130. *&* 184
Saloniorum lapis olim ad Portum Oſtienſem. 145
Sanctorum Petri & Pauli Acta extra Portam Oſtienſem. 188
Saonia familia antiqua Lavinienſis. 121
Seminum exoticorum præcipue ex Africa in Inſula & tractu Oſtienſi germinatio unde. 170
Sergia familia olim Lavinienſis. 122. *& ſeq.*
Sergii Sili facinora. 123
Serra antiquum Tiberis nomen. 217
Servii Grammatici de Lauro-lavinio opinio fuſe confutata. 13. *& ſeqq.*
Servilia familia origine Lavinienſis. 121
Sex. Cornelii Nigri Statua Oſtiæ. 202
Silvio Æneæ lapis poſitus ab Laurentibus. 119
Speculatoris quodnam munus. 111
Spei Dedicatio ap. Portum Oſtienſem. 155
Statua Coloſſea Claudii Imper. ad Portum Oſtienſem. 146
Sterculius ſive Stercutius Laurentium deus. 74
Symmachi villa in agro Laurente. 56

T

Tacitus Imp. centum Columnas donavit Oſtienſibus. 182
Tarquitia familia Lavinienſis. 125
Tarquitiorum nummi explicati. 125. *& ſeqq.*
Terentum, priſcum Tiberis nomen. 217
Terminalia feſta ab Latinis agitata. 78
Termini Templum in agro Laurenti. *ibid.*
Terminus quiſnam Latinorum deus. 78

Ti. Claudii Speclatoris monimentum. 104
Tiberis fluminis nomina. 215. fontes. 219. curſus. *ibid. & ſeqq.*
Tiberis ſtatua num fuerit apud Portum Oſtienſem Claudii Imp. 146
Tinia amnis in Tiberim influens. 220
T. Tremelii Neſtoris ſepulcrum in Inſula Sacra Oſtienſi. 169
Tito Vennonio lapis poſitus in agro Laurenti. 101
Trajani nummus de Portu Oſtienſi. 144
Trajanus Imperator Coloniam Lauro-lavinium deduxit. 98
Trajanus Imperator interiorem Oſtienſem Portum capaciſſimum aperuit atque munivit. 146
Trajectus Luculli ubi fuerit. 209
Tribunus Fabrûm Portenſium quinam Magiſtratus fuerit. 205
Trigemina Porta poſtea Oſtienſis dicta. 185
Trojæ Novæ in agro Laurenti deſcriptio ex Virgilio. 40. *& ſeqq.*
Troja Nova caſtrum in agro Laurenti priſcis temporibus excitarum. 40
Troja Nova falſo quibuſdam Ardea dicta. 42
Turia amnis Tiberi ſe immiſcens. 222

V

Valeriæ Baſiliæ lapis in Inſula Sacra Oſtienſi. 169
Valerii Achillei Lictoris ſepulcrum in Laurentino. 57
Variæ de C. Plinii Cæcilii Laurentino rure, ubinam potiſſimum fuerit, ſententiæ. 50. *& ſeqq.*
Veneris Templum Lavinii commune Latinis priſcis univerſis. 63
Veſpaſianus Imperator Coloniam Lauro-lavinium deduxit. & agros diviſit. 25. *&* 98
Veſtæ cultus Lavinii antiquiſſimus. 64
Veſtæ Templum Romæ quo loco. 67
Veſtalium Collegium & Sacerdotium Lavinii. 65
Veſtalium Virginum ritus & œconomia omnis. 69. *& ſeq.*
Veſta quodnam numen apud priſcos Latinos fuerit. 65. *& ſeq.*
Viæ Oſtienſis deſcripta monumenta. 185. *& ſeqq.*
Viæ Portuenſis vetuſta monimenta recenſita. 159. *& ſeq.*
Via Gordiana quæ olim. 189
Via Laurentina deſcripta. 38
Villæ antiquitus in agro Oſtienſi. 190
Vitellia Via & Colonia prope Portuenſem Viam & Urbem olim fuit. 159
Vitellius Imperator in agro Laurenti inter Lauri ſilvas ab fulminibus ut caveret, latitare ſolitus. 77

TA-

TABULÆ MONUMENTORUM AC RUDERUM

In quibus Laurentium & Oſtienſium ædificiorum aliqua adhuc apparent veſtigia, in his Libris expreſſæ.

LIBRO DE LAURENTIBUS.

Tab. I. A. *Veſtigium Urnæ marmoreæ ſtatuis olim inſignis in oppido* Patrica, *quod Lavinium fuiſse creditur, adhuc exſtans in Ædibus Burgheſiorum Principum.*
B. *Baſis antiquæ Statuæ ibidem exſtans.*
C. *Lavinii Conditorum Monumentum ibidem.*

Tab. II. *Coloſseæ Statuæ truncus exſtans in oppido* Patrica *ante Ædes Principis. Ex ruinis Laurentium.*

Tab. III. *Alius Coloſseæ Statuæ truncus exſtans in oppido* Patrica *ante Ædes Principis. E ruinis Laurentium.*

Tab. IV. *Virilis & Femineæ Statuæ Protome in oppido* Patrica *exſtans apud Ædes Principis. E ruinis Laurentium.*

LIBRO DE OSTIENSIBUS.

Tab. V. *Antiqui Portus interioris Oſtienſis a Trajano quondam conſtructi Proſpectus. Vulgo nunc* la Trojanella.

Tab. VI. *Alius Trajani Portus Oſtienſis Proſpectus.*

Tab. VII. *Columnarum circa Trajani Portum Oſtienſem diſpoſitarum ſitus & figura.*

Tab. VIII. *Ex Columnis quæ circa Trajani Portum Oſtienſem ad retinendas naves diſpoſitæ erant, una, numero trigeſima nona, prout adhuc ad eum Portum viſitur.*

Tab. IX. *Claudii & Trajani Impp. admirabilium Portuum Oſtienſium Orthographia per Stephanum Du Perach juxta antiqua veſtigia accuratiſſime delineata.*

Tab. X. *Antiquarum Sculpturarum Fragmenta exſtantia apud Portum Oſtienſem in impluvio Ædium Antiſtitis. Ex ruin. vet. Urb. Portuenſis.*

Tab. XI. *Jovis & aliorum deorum Sculptura antiquo opere Oſtiæ ante Antiſtitum Ædes ſub porticu exſtans. Ex ruinis Coloniæ Oſtienſis.*

Tab. XII. A. *Ara antiqua Oſtiæ juxta Antiſtitum Ædes adhuc exſtans.*
B. *Veteris Sarcophagi, in quo ſepulta mulier, ibidem exſtantis figura.*

Tab XIII. *Vetus Sarcophagus Oſtiæ intra muros exſtans in Via Publica. E ruinis Oſtienſium.*

Tab. XIV. *Veteris Sculpturæ fragmentum, quod Oſtiæ intra mœnia parieti privatæ domus inſertum adhuc viſitur. Ex ruinis Oſtienſium.*

Tab. XV. *Herculis, ſive alterius Herois, Leonem ſuffocantis imago rudi opere ſculpta, & Oſtiæ An. Sal.* MDCCXXXII. *in ſuburbana vinea exſtans. E ruin. Oſtienſ.*

Tab. XVI. *Antiquæ Sculpturæ pars, in qua Ducis Maritimi Victoria & Triumphus exhibetur, Oſtiæ exſtans in ſuburbana vinea. An. Sal.* MDCCXXXII. *ex ruinis Oſtienſium.*

Ordo collocandarum Tabularum.

Tab. I. II. III. IV. pag. 120.
Tab. V. VI. VII. VIII. IX. X. pag. 164.
Tab. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. pag. 206.

FINIS.

PATAVII. CIↃIↃCCXXXIV.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

SPECIAL 93-B
3543
V 6

THE GETTY CENTER
LIBRARY